Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Bassiano Carminati

Bassiani Carminati, Hygien. Therap. Gener. Mater. Med., Et Chirurgic. Ac Pharmaciae In Ticin. Gymnas. Reg. Prof. Nosocomii Med. Primar. Et Reg. Academ. Scientiar. Neapolit. Senens. Mantuan. Elector. Moguntin. Patr. Mediolan. Ec. Sodalis, Hygiene, Therapeutice, Et Materia Medica

Vol. 1

Editio Secunda Emendata, Lipsiae: Fritsch, 1792

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877

Band (Druck) Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0001
DFG

Mk-2410(1)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0002
DFG

J. H. Vogel.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0003
DFG

BASSIANI CARMINATI,

HYGIEN. THERAP. GENER. MATER. MED., ET CHIRURGIC. AC PHARMACIAE IN TICIN. GYMNAS. REG. PROF. NOSOCOMII MED. PRIMAR. ET REG. ACADEM. SCIENTIAR. NEAPOLIT. SENENS. MANTUAN. ELECTOR. MOGUNTIN. PATR. MEDIOLAN. EC. SODALIS,

HYGIENE, THERAPEUTICE, ET MATERIA MEDICA.

VOL. I.

EDITIO SECUNDA EMENDATA.

LIPSIAE,

SUMTU CASPARI FRITSCH.

MDCCXCII.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0005

DFG

Cum haec per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes a medicis saepe tractata sint, atque tractentur: subiiciendum est, quae proxima vero videri possint. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab vtraque nimium abhorrentia; media quodammodo inter diuersas sententias: quod in pluribus contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus.

A. Corn. Cels. pag. 11.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

INDEX CAPITUM. *)

CAPUT I.

De Methodo Medendi - Pag. 7

CAPUT II.

De recto aeris vsu in secunda, et aduersa valetudine - - 40

CAPUT III.

De alimentis generatim - 73

CAPUT IV.

De esculentis vegetabilibus speciatim 100

CAPUT V.

De esculentis animalibus - 133

CAPUT

*) Ad calcem operis indices alii praesto erunt exhibentes corporum omnium, quae ad alimenta, et medicamenta referuntur, nomina systematica, et pharmaceutica, additis etiam vocibus italicis, et vernaculis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0007
DFG

CAPUT VI.

De ciborum praeparationibus, et condimentis Pag. 170

CAPUT VII.

De Poculentis - - 191

CAPUT VIII.

De recto cibi, et potus vsu in secunda, et aduersa valetudine - - 211

CAPUT IX.

De Motu, et Quiete - 254

CAPUT X.

De Vigilia, et Somno - 276

CAPUT XI.

De Excretis, et Retentis - 286

CAPUT XII.

De Animi Pathematibus - 299

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0008
DFG

HYGIENES, THERAPEUTICES, ET MATERIAE MEDICAE

PROOEMIUM.

I.

Quemadmodum sanos, vel infirmos agere conueniat, vt secunda seruetur valetudo aut restituatur aduersa, quibusque auxiliis vtraque indigeat, quae duo Medici officium complectitur, exponere aggrediar. Nuper siquidem est apud nos constitutum, vt Medicinae Tirones cum humani corporis viuentis, et sani facultates, vires, actiones, et functiones, dein morborum naturam, differentias et causas, ac denique signa siue praesentis, siue amissae valetudinis probe cognouerint, quae singula Anatome, Physiologia, Pathologia, et Semeiotice tradunt, illa postea praesidia, quibus integra manet sanitas cum iis vna ediscant, quae eidem multimodis labefactatae subueniunt. Constitutum est scilicet, vt Hygienen cum Therapeutice, et Materia Medica coniunctim traderem: idque consulto statutum fuisse ex eo praesertim perhibetur, quod res illae, quarum optimo vsu sanitas seruatur, eaedem sint, quae opportune in morbis administratae aegrum corpus ad pristinam integritatem

perſaepe reſtituunt, vel ſaltem medicamentorum vires, et actiones in aegri ſalutem inſigniter adiuuant.

II. Hygiene porro, quae a graeco verbo ὑγιαίνω, ſeu bene valeo, originem ducit, ea habetur pars Medicinae, quae omnes regulas docet ſanitatis tuendae, vel eius in humano corpore conditionis ſeruandae, qua libere, iucunde, et conſtanter animales, vitales, et naturales functiones exercentur. Diſtinguitur a quibusdam in diaeteticam, et prophylacticam. Sex in rebus illa verſatur, quas nonnaturales dicunt, earumque notitiam tradit, ac vires, et vſus expendit, quoniam nec ſanitas poteſt ſeruari, nec morbus auerti, niſi eiusmodi res appoſite dirigantur. Altera vero, quam nonnulli ad Therapeuticen potius malunt referre, futuros morbos vel latentes, vel inſtantes arcet, vt non modo integrum, et firmum, ſed etiam longaeuum hominem efficiat. Sanos proinde inter ſe quoque diſtinguunt, atque in duo genera ſeiungunt. Vnum eſt eorum, qui a natura optimam corporis conditionem ſortiti, functiones omnes firmiter perfecteque abſoluunt, quin ab internis, externisue rebus labem facile accipiant. Alterum illorum eſt, qui eam conſtitutionem nacti ſunt, qua, etſi vitae, et ſanitatis actiones nondum affectae videantur, eo tamen modo ob latens vitium, vel ob paullatim inductam debilitatem contingunt, vt ex levi errore laedantur.

III. Cum autem Hygiene hominis ſalutem, diutinamque conſervationem proxime reſpiciat, mirari neutiquam ſubeſt, inter ſapientiores medicos neminem extitiſſe, qui non eam vel diligentiſſime coluerit, vel obſeruationibus ſuis illuſtrarit. Poſt vetuſtiſſimos proinde artis proceres, ac ſpeciatim Hippocratem, qui in aphorismis, ac potiſſimum in libris de diaeta, ac de aëre, aquis, et locis hanc disciplinam auxit; poſt ipſum fortaſſe Herodicum, cui potius, quam illi, tertius de diaeta liber a quibusdam tribuitur, ac poſt

A.

A. Cornelium Celsum, et Galenum, quorum alter cum primis de Medicina libris victus rationem ab Hippocrate, et a medicis, qui Romae medendi fama inclaruerant, acceptam latiniſſime exponit, alter de alimentorum facultatibus, de ſuccorum bonitate, et vitio, de paruae pilae vſu, ac ſpeciatim de ſanitate tuenda cum differit potiora Hygienes praecepta complectitur; qui deinde hanc medicinae partem locupletiorem, tutioremque redderent non pauci extiterunt.

IV. Inter eos vero, qui, multis iam aetatibus exactis, poſt Graecos nuperiores, et Arabes, ac poſt reſtitutas Europae litteras de Hygiene, ſeu Diaetetice ſcripſerunt, memoria digniſſimi habentur Cardanus, qui diſſerens de ſanitate tuenda nonnullis probatur, etſi vix aliqua iis addiderit, quae a Maioribus acceperat; Bruyerinus et Sebizius, quorum primum de re cibaria, alterum de alimentorum facultate loquentem ob rerum copiam, ſummamque eruditionis vim plurimi fecit Boerhaavius; item Ludovicus Cornelius, qui vitae ſobriae vtilitates exponit, licet tam exiguam cibi potusque vim bene valentibus conuenire exiſtimet, ac tantam in victu generatim temperantiam praeſcribat, atque commendet, vt ea nec vtilis, nec tuta mihi videatur; Mercurialis, qui in libris, quos de Arte Gymnaſtica veterum inſcripſit, cuiusque exercitationis effectus, et vſus ſanitatis tuendae cauſſa proſequitur; et Sanctorius, qui in Statica Medicina alimentorum materiem, quoad concoctionis modum, diligentiſſime expendit.

V. Hisce addi merito debent Fridericus Hoffmannus, qui in ſuis disputationibus, et opusculis plura, et vtiliſſima de diaetetica tradit; Ramazzinius, cuius animaduerſiones de valetudine principum, tum veſtalium virginum tuenda, ac de morbis artificum iure ſolent commendari; Cheynius, cui ſingulari tractatu vniuerſam diaeteticen complexo inter om-

nes diaetae scriptores primas olim detulit HALLERUS; et JOD. LOMMIUS, quem tamen elegantissimo commentario plura CELSI loca de sanitate tuenda explanantem quidam carpunt, quod veterum placitis nimium adhaeserit.

VI. Verum vt istis auctoribus, quae apud eos de valetudine tuenda recte posita sunt, reddere oportet, sic neque nuperiores in iis sunt fraudandi, quae vel rectius tradunt, vel ipsi repererunt. Quare, etsi plures mittam scriptores, quorum studio Hygiene vel nuper exculta est, silentio praeterire non possum MACKENZIUM, qui, siue historice omnes fere Diaeteticos recenseat, eorumque labores expendat, siue regulas conseruandae sanitatis exponat, medicorum suffragia promeruit; RICHTERUM, cuius praecepta, atque opuscula diaetetica valde vtilia censentur; ALEXANDRUM MONROUM, Ill. sane, doctissimumque virum, cuius de febribus arcendis elegans commentarium si legas monitis vtilissimis ex Hygiene depromptis refertum invenies; LORRYUM insuper, et ZÜCKERTIUM de alimentorum materie egregie differentes, quamquam vtrique praestet ILL. PLENCKIUS, qui de esculentis, et poculentis meliori ordine, et plenius, et vtilius egit, ac item de venenis et antidotis; UNZERUM Cl. virum, qui egregie eam partem, quae ad venena pertinet, nuperrime pertractavit; ac denique Illustr. et Celeber. viros TISSOTUM, et BUCHANIUM. Nam ille, vel litteratis hominibus regulas proponat, quibus mala ab indefessi studii contentione nascentia tuto declinent, vel pericula, et damna enumeret, quibus facile obnoxii sunt, qui urbanam vitam, atque una otium, et voluptates sequuntur, vel agat de caussis remouendis morborum, quibus vulgares omnes, ac praesertim rustici ob pravum, aut neglectum regimen sanitatis maxime patent, tot, tamque praestantia ubique profert praecepta, vt Diaeteticen quam plurimum illustret.

BUCHA-

Buchanius vero agens de medicina, quam domesticam nuncupauit, singulas regiminis partes pro multiplici etiam discrimine, quod fit a sexu, ab aetate, a vitae genere, atque a similibus absolutissime exponit.

VII. Quamquam autem horum praesertim medicorum studio Hygiene, partim sublatis erroribus, qui in eam subinde irrepserant, partim nouis obseruationibus adhibitis, et tutioribus sit hodie fundamentis innixa, et magnum incrementum summo humani generis bono iam susceperit; fateri nihilominus oportet ad eam augendam, et illustrandam eos insuper magnopere contulisse, qui Politiam medicam speciatim pertractarunt. Caeterum inter eos, qui de hac medicinae parte nostra praesertim aetate scripserunt, vnum satis erit persaepe consulere eruditione, et doctrina praestantem reliquis, nempe Ill. et Cel. Collegam Consil. Caesar. Frankium, qui vniuersam Politiam medicam vtilissimo opere, cuius iam quinque volumina in lucem emisit, nuper complexus est.

VIII. Therapeutice vero, aliis Therapia, quam a graeco verbo θεραπεύω, id est curo, et sano deducunt, ea definitur medicinae pars, quae methodum medendi, seu regulas docet, quibus medicus suam in homine actionem eo dirigit, vt huius vitam conseruet, morborum causas aut arceat, aut inertes faciat, morbum tollat, et eius effectus auferat, aut moderetur; atque una instrumenta indicat, quorum vsu ista perficiat. Quae quidem disciplina cum expositis praeceptis, quae in medendo nunquam negligi debent, ac rebus omnibus indicatis, quae corpus integrum conseruant, et labefactatum restituunt, tironem manu veluti ducat, ad practicam deinde medicinam facilius, certiusque ediscendam quouis tempore exculta est, ac plurimi facta ab iis praesertim inter veteres, qui falso arbitrabantur ad rite medendum satis esse communia inspicere.

IX. Interea dolendum est tam paucos occurrere scriptores, vt notat Boerhaavius, qui ante inuentum sanguinis circuitum, ac tunc instauratam medicinam, siue optimam medendi methodum, siue rectum instrumentorum vsum tradiderint. Nam si illa excipiantur quae apud Hippocratem in libro de victu in acutis, ac variis item locis occurrunt, vel quae de aegrorum regimine sunt apud Celsum, partim ab eodem Hippocrate petita, partim a reliquis Graecis, atque simul a Latinis medicis deprompta, vel quae apud ipsum Galenum de victu aegrorum habentur; caetera profecto huc spectantia, quae in libris reliquorum veterum prostant, locupletiorem, melioremque Therapeuticen non efficiunt. Vel enim sunt pene omnia ab iam indicatis Maiorum fontibus hausta, vel falsis hypothesibus innixa, vel denique ab incertis, nec rite institutis obseruationibus deducta. Quare haec, siue methodum medendi, siue regimen aegri circa sex eas res nonnaturales, siue reliqua artis auxilia respiciant, tenebras potius, quam lucem huic disciplinae offundunt, nullamque vtilitatem medicis afferunt.

X. Quae cum ita se habeant caussam facile video, cur illi, qui post revocatam ad veriora principia medicinam de Therapeutice primi scripserunt, Boerhaavio, aliisque valde probentur. Puto siquidem ex eo praesertim probari Swalvium, Sylvium de le Bois, et Vallaeum, cum medendi methodum explicant, tum Fallopium, Daleum, et Margravium, cum de artis instrumentis differunt, quod falsis reiectis principiis, ac vanis hypothesibus sublatis, rectam commonstrauerint viam, quam alii postea ad therapeuticen amplificandam ingrederentur. Maiora enim incrementa haec disciplina non prius suscipere poterat, quam una collatis obseruationibus eorum, qui in quouis morbi genere et motus naturae, et rerum, quae aegro admouentur, vires, et effectus interius sunt perscrutati, melius

melius innotuissent tum leges, quas humana sequitur natura morbo licet perculsa, cum proprietates corporum omnium, quae tamquam sua medicina adsciuit siue victu, siue manu, siue medicamentis curet. Quae porro cum nec brevi, nec facile erui potuerint, illud necessario accidit, vt tarde admodum potiores regulae constituerentur, quae veram medendi methodum, ac rectum vsum instrumentorum patefacerent, quibus e tripliei medicinae fonte desumptis artifex cito, tuto, et iucunde aegris subueniat.

XI. Tot proinde obseruationum subsidio Therapeuticen, quam dicunt, generalem longe vtiliorem tradiderunt, qui eam deinde professi sunt, atque imprimis SENNERTUS, HOFFMANNUS, et BOERHAAVIUS, ne de singulis dicam, qui cum caeteras expo-suerint medicarum institutionum partes Therapeuticen quoque explicarunt. Omitti tamen hic loci non debent neque Illustr. Viri LUDWIGIUS, et AZZOGUIDIUS, cum vterque, diuerso licet ordine, hanc medicinae partem egregie tradiderit, neque Ill. DUNCANIUS, qui eam tanti habuit, vt edito libro etiam explicauerit, et quidem sapienter, vt perpetuo solet. Nec reticendi sunt Clariss. quoque viri RICHTERUS, LORRYUS, BUCHANIUS, aliique, quorum iam memini, quoniam, dum sanorum diaetam prosequuntur, eam non negligunt, quam aegri sibi vindicant. Tandem praeteriri nullo modo debet Ill. GREGORY, qui Therapeuticen cum omni remediorum genere coniunctim tradens singulas illius partes tanta ingenii vi, et doctrinae copia exponit, vt eximius, vtilissimusque mihi auctor videatur.

XII. Porro Therapiae ita innexa est, vt ex toto separari non possit, illa artis doctrina, quae ὕλη ἰατρικὴ Graecis, Materia medica Latinis dicitur, lata quidem voce, sed aptissima ad eius amplitudinem designandam. Corporum quippe naturalium historiam,

characteres, delectum, et principia expendit, vires et effectus in homine experientia, et ratione probatos ſpeciatim tradit, et cuiusque medicamenti agendi modum, rectam adminiſtrationem, et praeparandi componendique formam, copiam, et vſum in morbis indicat, vt aegrum corpus in melius immutetur. Omnia igitur ea corpora complectitur, quae ex effectibus, quos in hominibus, et brutis bene valentibus, aut infirmis varia edunt ingeſta, ex diuturno eorum vſu, ex periculis multimode inſtitutis, atque ex analogia, et ratione incredibilis prope hominum induſtria in ſtirpibus, animalibus, et foſſilibus poſt innumera obſeruata comperit ad tuendam, reſtituendamque valetudinem vim habere.

XIII. Quamquam autem Materia medica vetuſtiſſimis iam temporibus exculta ſit, cum ſine medicamentis pleraque corporis mala ad ſanitatem pervenire non poſſint, longe ſerius tamen, quam par erat, incrementa ſuſcepit. Nam veteres quidem in hac medicinae parte minus, quam in caeteris praeſtitiſſe, neque ii denegant, qui eorum auctoritati adeo ſtudent, vt in quauis fere diſciplina eisdem illa etiam referant, quae Nuperioribus debentur. Latet quippe neminem, cum de medicatis corporum facultatibus Antiquiores diſſerunt, modo falſas vires eisdem tribuere, modo praecipuam eorum agendi rationem negligere, aut veram non attingere, modo plura invicem pugnantia coniuncte probare, modo etiam vana, aliena, ac noxia tamquam praeſentiſſima auxilia proponere.

XIV. Nec ſolum ii artis proceres partim vagis, et falſis obſeruationibus confiſi, partim ſubſidiis deſtituti, quae Rei naturalis, herbariae, ac chemicae ſtudia afferunt, ſaepe fallacem, et dubiam, plenamque interdum diſcriminis Materiam medicam nobis reliquerunt; verum etiam pluribus ambagibus implexam, tenebrisque plerumque inuolutam. Etenim cum corporum,

porum, quorum vires prosequuntur, characteres, et notas vel omittant, vel sedulo e natura non exprimant, manifestas proprietates nec semper, nec saltem accurate indicent, vnam, eamdemque rem multiplici nomine interdum designent, aut diversissimas inter se res uno interdum significent; tanta inde existit confusio, vt eorum de quibusdam remediis sententiae neque ad ea tuto possint traduci, quae nunc eisdem vocibus appellantur, neque illa facile assequi, quae minus dilucide, minusque perfecte describunt.

XV. Eo quoque vitio Priscorum Materia medica laborat, quod in eorum, quae supersunt codicibus species morborum, in quibus remedia prodesse dicuntur, nec sedulo notentur, nec indicentur plerumque casus, qui ob multiplex caussarum, aegrorumque discrimen remedium aliquod speciatim vel admittunt, vel excludunt. Quare accidit, vt quae tam apud Hippocratem, Dioscoridem, Celsum, Galenum, et Plinium, quam apud Scribonium Largum, Aetium, Oribasium, aliosque de medicamentis occurrunt negligi magnam partem soleant, quoniam nec multae vtilitatis, nec tuti quidem usus censentur.

XVI. Hisce praeterea caussis, quae Materiae medicae progressus retardarunt, illud etiam accedit quod medici veteribus propiores ac speciatim qui ex Arabum, et Chemicorum scholis prodiere ad eam non multum contulerint. Etenim Arabes nonnullis stirpibus, et aromatibus, aliisque simplicibus remediis in medicinam inuectis, ac quibusdam, quae iamdiu innotuerant, resolutis, diuersaque ratione praeparatis, etsi Materiam medicam ditauerint, Priscorum tamen errores, ac placita sequuti remediorum nec meliores descriptiones, nec vires tutioribus obseruationibus nixas, nec vsus rectius constitutos posteris tradi-

derunt. Chemiam vero cum PARACELSO profeſſi licet non paucis efficacibus remediis inventis, atque aliis vario item artificio compoſitis, locupletiorem hanc medicinae partem reddiderint, eam nihilominus tot falſis hypotheſibus, incertis obſeruationibus, et arcanis vocibus, ac tot vanis, ſuperſtitioſis, anilibusque commentis cumularunt, vt corruperint magis, quam auxerint.

XVII. Hinc quisque facile aſſequitur, cur haec pars medicinae tantis obſita tenebris, difficultatibusque implicata neque tunc plurimum profecerit, quando eximiis remediis ex longinquis incognitisque antea regionibus in Europam primum advectis, corporum, quae medicata cenſentur, characteribus, et qualitatibus detectis, atque una principiis Chemicorum induſtria evolutis, morborumque differentiis, ſedibus, et cauſſis patefactis, iam nulla deeſſe videbantur ſubſidia, quibus pharmaci cuiusque vires, effectus, et vſus tutiſſime conſtituerentur. Etenim ſi in quauis diſciplina difficile eſt vera a falſis ſecernere, certa a dubiis ſeiungere, vtilia a vanis, et alienis ſeparare, novaque veteribus ſubſtituere, quando praeſertim ab opinionibus communiter receptis recedendum ſit; multo ſane difficilius eſſe debuit in ampliſſima remediorum ſupellectile ordinanda iſta praeſtare, cum ſine accuratiſſimis, et iteratis obſeruationibus rite perfici non poſſint, quas, vt compertum eſt, nec facile, nec ſemper licet ſuſcipere, ſuſceptasque abſoluere.

XVIII. Quam multa praeterea in quouis remedio obſeruari, et ſedulo animaduerti non debent? Praeter illa, quae in quouis medicato corpore circa characteres, et notas, quibus ad ſuum referatur genus, atque a proximis ſpeciebus ſeiungatur conſtanter aduertere oportet, atque etiam de eius nominibus, habitu, textura, odore, ſapore, colore,

colore, ortu, et duratione tradere, quot sane animaduersiones exigunt eiusdem principia, vires, agendi ratio, mutationes, quas humoribus ex homine praesertim eductis infert, atque effectus, quos edit in animalibus brutis, vt inde sine ullo erroris metu germana virtus eruatur, ac verus vsus eluceſcat?

XIX. Quamquam haec non omnia sunt, quae in cuiusque pharmaci historia tradenda inspici debent, quoniam insuper expedit omnino constituere in qua morbi specie indicetur, in qua corporis temperie proficiat, quo aegritudinis tempore vtilius vsurpetur, qua copia infantibus, pueris, adultis, et senibus conueniat, quando simplex, vel praeparatum, vel cum aliis, quibusque remediis coniunctum, vel qua ratione immutatum, compositumque adhiberi debeat, qua forma magis expediat, et qua denique via tutius sit illud intra corpus immittere.

XX. Cum itaque tam multa in quouis remedio animaduertenda sint, neque ea sine multo labore, et tempore queant absolui, mirari neutiquam est, quod illi etiam, qui post instauratam medicinam, et melius declarata subsidia inueniendis, confirmandisque remediorum viribus vtilia de Materia medica inter primos scripserunt, vt HERMANNUS, POMETIUS, HILLIUS, ALSTONUS, ZORNIUS, CHOMELIUS, RAYUS, NEUMANNUS, CARTHEUSERUS, GEOFFROYUS, aliique eam longe minus, quam erat in votis, aegrotantibus vtilem, medicorumque rationibus accommodatam tradiderint, neque recentiores, vt LINNAEUS, CRANTZIUS, SPIELMANNUS, VOGELIUS, LIEUTODIUS, et RUTTYUS satis eam illustrarint. Profecto vix fieri poterat, quin in tanta rerum difficillimarum copia aliquid praeter-

praetermitterent, aut quaedam non satis assequerentur, aut non omnes errandi occasiones tutissime declinarent. Nonnulli proinde remedia describentes sensiles qualitates non sedulo indicarunt, quasi ignorassent a varia odoris, et saporis indole medicatas eorum facultates coniectura saepe prospici. Quidem chemicis remediorum periculis in statuendis, et explicandis viribus nimium tribuentes non satis animaduerterunt nonnulla, quae chemicis operationibus tentata principiorum natura, et proportione nihil quasi differre videntur, dissimiles in humano corpore effectus edere, et contra alia, quae principiorum modo indole, modo proportione, modo mixtione admodum inter se discrepare Chemia docebat, Clinices tamen pericula viribus aut nihil pugnare, aut prorsus conuenire euidenter probasse.

XXI. Sunt praeterea, qui quorundam remediorum agendi rationem, vim, et affectiones satis interdum non eruerunt, quod phaenomena, quae sanguinis crassamento, sero, lymphae, salivae, bili, aliisque humoribus e corpore eductis permixta medicamenta edunt, aut quae in nonnullis animalibus a quibusdam pharmacis vel assumptis, vel exterius applicitis eueniunt, tamquam vana, et aliena neglexerint. Sunt contra, qui utroque inuestigationis genere, saepe fallacissimo, plus iusto confisi ea, quae in variis humoribus, et in animalibus pharmaca praestabant, nimia fiducia, et non semper innocua temeritate ad hominem traduxerunt. Sunt qui medicamentorum doses non raro omiserunt, aut non veras protulere. Sunt etiam qui remediorum compositiones, earumque vires, et vsus ne indicarunt quidem, ad Pharmaciam solum modo eas pertinere falso arbitrati, dum alii ex medicamentariis variarum gentium codicibus cum utilioribus, vsitatioribusque superfluas etiam, vanas, inconcinnas,

et

et obsoletas in medium attulerunt. Sunt denique, qui in statuendis, aestimandisque medicamentorum viribus, licet probe scirent, eas clinicis observationibus certius aperiri, quam aliis quibuscumque rationibus, quas experientia non anteceſſerit, aut non comprobarit; attamen dubias interdum pro certis, ac falsas subinde pro veris ideo admisere, quod nunquam, aut leviter clinicen profesſi aliorum de medicamentis iudicia amplexi fuerint tamquam tutissima, atque ab accuratis periculis deducta, quae interim erant ab impuris fontibus hausta. A praeconcepta siquidem opinione, a vulgi erroribus, a vagis itineratorum narrationibus, a circulatorum astutia, a quorundam Medicorum imperitia, et credulitate, a nouitatis et partium studio, a minus diligenti periclitandi ratione, a viribus naturae non satis perspectis, aliisque cauſſis petita vnice fuerunt.

XXII. At quorsum haec omnia? vt ex recensione cauſſarum, quae et Materiae medicae progressus retardarunt, et vna impedimento fuerunt, ne viri ingenio, doctrina, et artis vsu caeterum praestantes eam melius traderent, quisque, sicuti paullo antea dicebam, iam desinat mirari, nobiliſſimam hanc partem medicinae vix nostra aetate eo adductam esse, quo reliquis non inuideat; atque etiam eos, per quos ipsa maxime profecit iustis laudibus efferat. Efferat scilicet laudibus eos, qui cura nuperrime susceptа medicaminum tum simplicium, cum compositorum supellectilis ordinandae, vt medicamentarii, seu pharmacevtici codices meliores prodirent, remedia solummodo retinuerunt quae ratione et experientia probantur, reiectis caeteris dubiis, vanis, et superfluis, ac compositiones simpliciori methodo, meliori rerum delectu, et minori sumptu parabiles inuenerunt: quemadmodum in

Anglia,

Anglia, in Scotia, in Germania, in Gallia, ac demum in Insubria hac aetate accidit. Eos etiam laudet inter recentiores clinicos, qui siue noua ad medendum corpora receperint, siue remedia obliuioni perperam tradita medicinae iterum restituerint, siue medicamenta ex dubiis et periculosis non parum efficacia et tuta fecerint, Materiam medicam summopere ditarunt. Eos quoque merito extollat Materiae medicae scriptores, qui etsi nostra aetate non omnes eius partes aeque illustrarint, quas tamen speciatim perficere sibi proposuerant, egregie pertractarunt: nempe LEWISIUM, qui de remediorum viribus rectissime plerumque iudicat; VENELIUM, qui falsa de remediis iudicia euellere potissimum studet; BERGIUM, qui medicamina e stirpibus petita quoad sensiles qualitates, proprietates, et varios praeparationis modos summopere illustrat; FORKROEUM (FOURCROY), Ill. virum iam de Chemia insigniter promeritum, qui generales remediorum vires, et effectus scite explicat; ac virum summum CULLENIUM, qui etsi Materiam medicam cum Therapia coniunctam tradens nimis interdum systemati suo, et minus tutis hypothesibus addictus videatur, ac nimirum interdum ab aliorum auctoritate, opinionibusque recedat; tamen de ea plurimum meretur, cum non pauca hactenus probata, quae reuera superflua sunt, vana, et aliena ex genere remediorum sustulerit, et quae duce experientia omnino debent tamquam vtilissima et tutissima pharmaca admitti, eximiis obseruationibus exornauerit.

XXIII. Verum praecipua, imo maxima ratio habeatur Ill. et Cel. viro Io. AND. MURRAYO, qui vniuersam hanc doctrinam complexus in iis, quos hactenus edidit, libris medicatas stirpium facultates

conti-

continentibus quaeque in cuiusque remedii hiſtoria inſpicere, et obſeruare oportet tanta perſpicuitate, eruditione, et doctrina, tantoque ingenio, et iudicio vbique proſequitur, vt ſi quando reliqua etiam remedia, quae ex animalibus, et foſſilibus promuntur, pari ratione expoſuerit, ingenuo cuique videri debeat eorum omnium prope princeps, qui in hanc vsque diem Materiam medicam profeſſi ſunt, nobisque tradiderunt.

XXIV. En itaque fontes, e quibus, cum ſaluberrimi ſint, et non ambigua et ſimulata, ſed vera, ac tuta artis auxilia contineant, ipſe perpetuo hauriam quae valetudinis ſiue tuendae ſiue reſtituendae cauſſa in hisce inſtitutionibus proponam, ipſis etiam, unde hauſtus patuerint, fontibus declaratis. Quibus illa ſubinde addam quae mihi, vario periclitationis genere remediorum quorundam vires minus euolutas, minusue perſpectas ſedulo ſcrutanti, innotuerunt.

XXV. In his porro exponendis eum ordinem accurate ſequar, qui nuper apud nos conſtitutae ſtudiorum rationi magis conuenire cenſetur, atque vniuerſam proinde doctrinam, quae artis inſtrumenta tradit, duas in partes tribuam. Sicut vero res, quae non naturales dicuntur, (quatenus temere adhibitae morborum cauſſas praediſponentes, et occaſionales conſtituunt), a bene valente homine rite vſurpatae eum incolumem ſeruant, ac longaeuum reddunt, atque ipſis in morbis opportune admiſſae iam natos corrigunt, eorumque effectus cohibent, auferunt, et moderantur; ita, poſt generalem medendi methodum, ſingillatim proferam primo loco quonam modo quaelibet res non naturalis ſiue in ſecunda, ſiue in aduerſa valetudine debeat adminiſtrari. Hiſce autem expoſitis propius deinde ad Therapeuticen, et Materiam medicam accedens poſt communem remediorum diſtinctionem, qua in alterantia, et euacuantia

tia ſolent diſcriminari, ſingula auxilia ex Pharmaceutico, et Chirurgico fonte deducta ad ſua genera ordine, vt appellant, therapeutico, reuocata ſpeciatim perſequar, ea nunquam omittens, quae ad remediorum generales actiones, effectus, indicationes, et vſus attinent.

XXVI. Quaecumque vero proferam, id mihi curae perpetuo erit, vt ſermo ab artis auxiliis ad ea nunquam delabatur, quae medicinam facturis inutilia cenſentur, ne ſecus praefinitos ad docendum limites temere praetergrediar, neue videar eorum potius rationes ſequi, qui in Rei ſiue naturalis, ſiue herbariae, ſiue chemicae ſtudiis verſantur, quam medicorum.

HYGIENES, THERAPEUTICES, ET MATERIAE MEDICAE

PARS PRIOR.

CAPUT I.

De Methodo Medendi.

1.

Cum humani corporis partes ita a natura sint constitutae, vt etiam sub integro, et valido functionum exercitio atterantur, et sensim pereant, excessu, aut defectu facile laborent, atque ob plures causas internas, externasue multimodis laedantur, ipsae vero vitae actiones, et vires perpetuo non possint ea vitia, quibus caetero persaepe medentur, per se prohibere, auferre, corrigere, vel saltem moderari; medici officium est diligenter inuestigare, atque opportune detegere quid tum agendum sit, vt ista artis auxilio contingant. Quoniam vero morbus nec auerti, nec discuti potest, nisi praesens corporis conditio ope instrumentorum rite mutetur; hinc artifici innotescant oportet tum mutationis natura, et ratio, cum auxilia, quae eam adducant.

2. Curandum igitur est generatim, vt in quouis aegro morbi caussa, morbus ipse, eiusque symptomata, quae res dicuntur praeter naturam, auferantur, atque simul vires, et, quae supersunt, actiones cum sanitate, eiusque caussis, et effectibus antea coniunctae, seu res naturales, vel debitae conseruentur. Quare caussas et leges, quibus actiones in secunda

valetudine reguntur, in aduerſa vero turbantur, viresque et effecta rerum, quae humano corpori admoueri ſolent, medicus ne ignoret, atque etiam cognoſcat neceſſe eſt in quouis infirmo homine ex iis, quae meminit praeteritorum, quae praeſentia cernit, quaeque futura praeuidet, et quod mutationis genus conueniat, et peculiares effectus, qui a delectis in hunc finem auxiliis ſequuntur, aut ſequi poſſunt in poſterum.

3. Satis proinde non eſt, aegritudinis naturam ex ſimilium morborum obſeruatione generatim definire, et remediorum generales effectus ſolummodo conſiderare, quando aliquid mutandum ſit, vel corrigendum; ſed propriae cuiusque aegri conſtitutioni actionem, et auxilia accommodare oportet. Cum enim morbi, eiusdem licet indolis, ob inſigne discrimen, quod fit a diuerſa cauſſarum ratione, et vi, atque a diſſimili corporis temperie, ſexu, aetate, et conſuetudine, non parum inter ſe diſcrepent, perpetuo euenit, vt idem morbi genus, imo eadem ſpecies in quouis aegro non communia artis praeſidia, at propria deſideret. Recte proinde aiebat BOERHAAVIUS „medicinam „facere idem eſſe ac ſingulatim rimari cauſſas morbo„rum; ita quidem vt generalis in animo ſit medicus; „ſed ita medicum eſſe quando ſingulariſſime munus ſu„um obit *)".

4. Id autem, quod in aegro ex praeterita, praeſenti, et futura corporis conditione ſui conſeruationem, mutationem, ablationem, aut mitigationem, vel modo, vel in poſterum expoſcit, dicitur *indicans*. Illatio vero, ſeu concluſio ex indicante deducta, quae demonſtrat quid in morbo nunc, vel in futurum agendum ſit, vocatur *indicatio*. Quod denique ex notitia indicantis, et indicationis ſanitatis tuendae, aut reſti-

tuendae

*) Meth. Stud. Med. Tom. 2. Par. XII.

tuendae cauſſa iuxta artis praecepta faciendum iudicatur, *indicatum* medici nominant.

5. Itaque phaenomena, quae in aegro homine cum ſano comparato occurrunt, ſcilicet morbus, eius cauſſa, et effectus, ac res ipſae naturales adhuc ſuperſtites indicantia ſunt, quibus medicus ducitur ad indicationem conſtituendam. Quae quidem vbi ita conſpirent, vt ſingillatim etiam ſumpta vnam, eandemque mutationem requirant, *innicantia* proprie appellantur. Si vero alia iterum phaenomena vel nouo facto aegri examine, vel progrediente morbo ſe offerant, quae indicationem ab indicantibus prius animaduerſis deductam magis confirment, vel tantum ex parte tutam declarent, *coindicantia*, vel *permittentia* dicuntur. Quod ſi in aegro ea ſuperueniant, quae prioribus indicantibus tam manifeſte aduerſentur, vt haec vel ſingularem actionem, vel peculiare auxilium deſiderent, vel oppoſitam mutationem, et contrarium remedium indicent, *contraindicantia*, aut *prohibentia* nominantur.

6. Dum autem moneo contraindicantia in uno aegro vel aegritudinis initio, vel eius progreſſu quandoque occurrere, nemo credat me in eorum ſententia verſari, qui id crebro accidere arbitrati in vera eruenda indicatione ſaepiſſime hutant. Plerumque enim duplex hoc genus phaenomenorum diuerſam, et oppoſitam mutationem eodem tempore indicantium, ab artificis potius praeiudicata opinione, aut inſcitia, quam ab aegri ſtatu proficiſcitur. Interdum ſiquidem eiusmodi diſcrimen ab imperfecto rerum examine, quae in aegro, aut circa eum ſunt, [illegible]inem ducit; interdum pendet a falſis principiis [illegible]medendo receptis; interdum etiam oritur a defectu ratiocinii, quo vtitur medicus. Quoties ſcilicet ex morbi ſignis eius cauſſam non ſatis ſit aſſequutus, toties varia, atque etiam oppoſita ſymptomata, quae eadem non raro

cauſſa ſuscitat, tamquam ſingulares, et primarios morbos proprias mutationes omnino indicantes conſiderat.

7. In grauiſſimum vero eiusmodi errorem is profecto non incidet, qui nunquam obliuiſcatur eandem cauſſam pro diuerſa eius vi, pro diſſimili modo, quo corpori applicatur, proque varietate temperamenti, ſexus, aetatis, vitae generis, et conſuetudinis, effectus edere, qui inter ſe oppoſiti videantur. Ad hunc quoque dechinandum errorem expediet a primario morbo ſymptomata diſtinguere, atque ad cauſſam referre; cauſſae praediſponentis, et occaſionalis, ac natae ex vtriusque coniunctione cauſſae proximae naturam, et vim probe perpendere, ſemperque prae oculis habere, eum recte curaturum, quem notitia cauſſae non fefellerit, eaque deuicta eius effectus vel ſponte ceſſare, vel facilius tolli.

8. Haec dicta ſint ad eorum intemperantiam moderandam, qui in ſimplicioribus licet affectibus contraindicantia ſe offendiſſe ſaepe credunt, ac proinde vel incerti errant in iudicio mutationis perficiendae, vel tot indicationes ſtatuunt totque una exhibent inuicem pugnantia medicamenta, vt infirmis quos nutriunt, noceant potius, quam proſint. Non enim negamus in complicatis potiſſimum morbis contraindicantia, et prohibentia interdum ſe prodere, et arduum tunc eſſe, quae reuera, et abſolute indicent, tuto cognoſcere. Hoc ſi accidat non prius propoſitae viae inhaerendum eſt, quam alia iterum argumenta accedant, quae, omni contraindicantium metu ſublato, eam tutiſſimam eſſe demonſtrent. Sin autem contraindicantia eiusmodi ſint, quae indicationi et indicatis repugnent, nunquam vereamur a propoſita methodo recedere, et meliori concluſione deducta, aptioribusque delectis auxiliis, nouum curationis genus inire.

9. Indi-

9. Indicatio vero, seu illa ratio, qua curationis instituendae methodus ex indicantibus statuitur, vt quatuor iam proposita (§. 4.), vel saltem aliqua perficiantur, multiplex esse solet. Vel enim de vitae viribus conseruandis, et reparandis sollicita est, et dicitur vitalis, seu conseruatoria; vel caussae internae, et externae, quae malum procreat, remotionem praecipit, et caussalis vocatur; vel praesentis actionum laesionis, seu morbi ablationem postulat, et therapeutica, seu curatoria nuncupatur; vel denique symptomatum mitigationem solummodo exigit, et symptomatica, aut mitigatoria dici solet, cum ad morbum radicitus euellendum non valeat.

10. Vitalis proinde indicatio in eo versatur, vt quae sunt in humano corpore cum vita et sanitate proxime coniuncta, sanguinis nempe circuitus, atque ex eo ortae humorum secretiones, excretionesque, irritabilitatis actio, et cerebri, neruorumque operationes optimo alimentorum vsu conseruentur, atque vbi langueant, aut fatiscant, idoneis medicamentis protinus incitentur, atque erigantur.

11. Caussalis studet diaetae errores corrigere, vim venenorum cohibere, externas iniurias auertere, nocuam copiam humorum imminuere, ac prauam quamcumque corporis constitutionem emendare. Etenim sanitas non alia ratione conseruatur, quam morborum semina, seu vitia in corpore haerentia, quae caussae praedisponentes audiunt, tollendo, aut emendando, aut impediendo, quominus eisdem occasionales caussae accedant, quae, vbi affines sint, atque una conueniant, morbum constituunt, vel latentem suscitant.

12. Curatoria indicatio, quae morbi curationem sibi proponit, duas in partes diuiditur, quarum prima vitia solidarum partium, altera fluidarum complectitur: diuisione ad doctrinae perspicuitatem inuecta. Notum quippe est in iis morbis, vt appositе animad-

uertit Ill. et Cel. CALDANIUS *), quorum curatio ad medicum pertinet, nunquam forte ſolidas partes vitium contrahere, quin ipſae vel illico, vel paullo poſt humoribus quoque labem aliquam tribuant, et viciſſim. Prima itaque huius indicationis pars correctionem reſpicit ſolidarum partium, quae rigiditate, ſpaſtica conſtrictione, laxitate, debilitate, ac ſoluta continuitate laborant; altera humores tenuitate, ſpiſſitudine, acrimonia, nimio motu, aut tarditate peccantes emendare curat, morbidamque materiem expellere.

13. Quando vero id, quod morbum conſtituit, ars nequeat corrigere, aut remouere, unde amiſſa redeat valetudo, atque ſymptomata ob niniam vim vsque ad finem morbi perpeti non poſſint, vel eiusmodi ſint, quae, niſi protinus diſcutiantur, morbum deteriorem efficiant, vel per ſe vitae minitentur, vel ob impoſſibilem cauſſae amotionem neceſſario ſubſiſtant, artificis eſt, haec ſaltem mala compeſcere, ſeu mitigatoriam indicationem explere, quae potiſſimum in doloribus conſopiendis, excretionibusque moderandis verſatur.

14. Etſi vero, quam modo proponebam, indicationum diuiſio eum tutioribus Therapeutices principiis, et cum ipſa in morbis inſtituta obſeruatione conſentiat, ac proinde tamquam vera, et clinicis vtiliſſima in medendi methodo tradi communiter ſoleat; non deſunt tamen qui eam veluti inutilem, imo abſurdam reiiciant. Verum horum argumenta, quae vtpote notiſſima referre non vacat, probant ſolummodo, quod lubenter damus, vitales, cauſſales, therapeuticas, et mitigatorias indicationes vel aliquot, vel omnes ſaepe in morbis coniunctim occurrere.

15. Nec ſolum fatendum eſt coniunctionem indicationum, quae generatim diuerſum habeant finem, in

*) Inſtit. Patholog. n. 69. et ſeq.

in eodem morbo locum saepe inuenire; verum etiam quoduis indicationis genus suis quoque differentiis patere, quae non vnam a medico actionem postulent, imo eam interdum requirant, quae prius statutae mutationi repugnet. Cum enim ex Pathologia compertum sit non modo caussam proximam raro simplicem esse, vtpote quae ex plurium caussarum vnione, variisque aegri affectionibus exsurgit, sed propiori etiam morbi caussae iam praesenti nouam, seu alteram proximam pariter caussam a priori omnino distinctam superuenire, qua simplex morbus euadat compositus; hinc debet admitti curatoriam indicationem ex plurium caussarum praesentia, et coniunctione in varias partes quandoque discriminari, quarum unaquaeque proprium, ac subinde dissimile genus curationis exposulet, nouaque indicata exigat.

16. Sunt porro *indicata* illa omnia corpora, quae certa copia, praeparatione, forma, conditione, certoque ordine, et tempore interne, et externe humano corpori applicita ex eorum actione apta censentur ad eam mutationem praestandam, quae vitam conseruet, et morbum vel arceat, vel tollat, vel mitiget. Vocari proinde solent medicamenta, remedia, et auxilia. Quae quidem cum vera sint artis instrumenta eadem medicus calleat necesse est, eorumque naturam, vires, et vsum, ac maxime veram, tutiorem, simplicioremque actionem. Hac enim neglecta quoduis mutationis genus rite nequit institui, nec praesens remedium in quouis morbo deligi, qui ratione caussarum, symptomatum, virium, aliarumque aegri conditionum non exiguas differentias exhibet. Nemo quippe illorum opinioni hodie subscribet, qui olim ad rectum remediorum vsum satis esse existimabant, eorum qualitates cognoscere tum manifestas, cum abditas, ac scire quibusnam morbis generatim subuenirent, quibusque corporis partibus prospicerent.

17. Remedia autem, seu indicata, non iis solum differentiis obnoxia sunt, quae supra posui in indicantibus praesto esse; sed prout e triplici medicinae fonte promuntur in Diaetetica, Chirurgica, et Pharmaceutica discriminantur. Ad diaetetica pertinent res non naturales, aer, cibus et potus, motus et quies, excreta et retenta, somnus et vigilia, atque animi pathemata; ad chirurgica operationes omnes, quae in gratiam totius corporis manu fiunt, vt ex aegro sanum euadat; ad pharmaceutica demum pharmaca, aut medicamina, quorum viribus, optimaque administratione sanitas in pristinum restituitur.

18. Medicamenta praeterea ab eorum materie, natali loco, vtendi ratione, agendi gradu, et effectibus nouas diuisiones assumunt. Quamobrem iuxta triplex Naturae regnum in Fossilia, Vegetabilia, et Animalia diuiduntur; a nascendi loco in indigena, ea nempe quae apud nos, seu potius in Europa naturaliter prosiant, et exotica, quae ex caeteris orbis partibus ad nos vsque transuehuntur. Atque a ratione, qua corpori admouentur, interna dicuntur, vel externa: interna sunt, quae ore assumpta ad fauces, ad oesophagum, atque ad ventriculum, et intestina delata, vel a lymphaticis vasculis cum descendunt absorpta, vel lactea ingressa ad majora postea vasa, ad cor, ad viscera, ac dein ad singula corporis loca traducta cunctas, vel certas tantum particulas pro varia eorum indole afficiunt. Neque externa cuicumque parti imposita in corporis superficie solummodo operantur; verum etiam, ob inductam mutationem, humoribus, intimisque partibus vim aliquam inferunt, atque ab inhalantibus vasis sensim recepta sanguinis vias subeunt, penitiores corporis sedes peruadunt, ac non mediocres hoc modo mutationes interdum excitant.

19. Ab

19. Ab agendi gradu heroica dicuntur ea pharmaca, quae copia licet exigua maximos edunt effectus; ſpecifica vero, quae nondum explicata ratione certa mala perpetuo curant, vel quasdam partes ſolummodo afficiunt. Diſcriminari item ſolent in ſimplicia, et compoſita, atque illa rurſus ſubdiuidi in ſimplicia proprie dicta, et praeparata. Ea audiunt vere ſimplicia, quae e natura emerſa nulla arte, aut aliorum corporum mixtione mutantur; et praeparata, quae alterius ſubinde corporis ſubſidio, aut quapiam induſtria ex illis eliciuntur. Compoſita contra ea ſunt, quae non origine ſua, ſed arte, aut plurium ſimplicium coniunctione exſurgunt. Tandem diuiduntur medicamenta iuxta eorum actionem in alterantia, et euacuantia, haecque rurſus in varia genera; iuxta partes, quas ſpeciatim afficere indicantur, in cephalica, pectoralia, ſtomachica etc.; ac iuxta varias aegritudines, quibus auxiliari cenſentur, in antiuenerea, antihyſterica, antiphlogiſtica, antiſcorbutica etc., ne reliquas modo perſequar diuiſiones, quae ab odore, et ſapore, atque ab indole principiorum deriuantur.

20. Omnia igitur ea corpora, quorum actiones ad vitam cenſeruandam, et ad morbum remouendum conſpirant, auxilia habentur; quemadmodum illa, quae contrariam mutationem inducunt, venena dicuntur, quae ſcilicet parua copia humano corpori interne, vel externe admota ſuis viribus, modo ſubito, modo lente magnum detrimentum ſanitati afferunt, grauiſſima mala accerſunt, aut vitam adimunt. Caeterum vix aliquot occurrunt venena, quae abſolute noxia, et lethalia ſint. Si pauciſſima enim excipiantur, reliqua minima doſi, prudenterque adminiſtrata vel nullam noxam inferunt, vel ſalutaria, ac praeſentiſſima plurium aegritudinum remedia evadunt.

21. Haec de indicantium, indicationum, et indicatorum multiplici diſcrimine; nunc paucis expendam

praecipua illa artis praecepta, quae in medendi methodo proponi solent, cum medicinam facturis magnam opem praestent. Quoties enim ob indicantium inuicem oppositorum praesentiam arduum sit certam indicationem, et verum indicatum detegere; toties ipsa, quae etiam artis axiomata vocantur, meliori medendi ratione patefacta, omne dubium, omnemque errandi occasionem artifici adimunt. Quare vtilissimum erit has regulas nouisse, quas nonnulli perperam omittunt.

22. Itaque moneo quod in aegro indicat, secundum, vel contra naturam esse, ac primum sui conseruationem, alterum amotionem perpetuo praecipere. Non enim cum quibusdam existimo prioris regulae veritatem euerti vno praesertim pleuritidis exemplo, quod in hanc rem HALLERUS olim protulit *). Nam qui credunt ex eo quod in pleuritide vis vitae, quae res est maxime naturalis, ita plerumque excedat, vt moderanda sit, non semper, quae sunt iuxta naturam, seruari oportere; ii sane neutiquam animaduertisse videntur in adducto exemplo tantum virium incrementum ad sani corporis conditionem non pertinere, sed morbificae causae effectum esse, qui omnino debeat ad secundam axiomatis partem revocari.

23. Quod si duae indicationes, vt interdum euenit, praesto sint, quas simul Clinicus nequeat explere, aut vitalis indicatio cum aliis consociata, quae proprium genus curationis postulent, maxime vrgeat, ad primariam, aut vitalem eius actio continuo dirigatur. Cum enim vires in aegro superstites illae prorsus sint, quarum motu functiones morbo perturbatae, ac laesae ad propria officia iterum reuocantur, nisi studiosissime conser-

*) Praelect. Acad. in Boerh. Instit. Vol. V. §. MLXXXVI.

conferuentur, aut languentes protinus erigantur, cuiusque morbi curatio fruſtra ſuſcipitur.

24. Vbi vero certa, et perſpicua indicatio ob dubiam adhuc, obſcuramque mali naturam non ſuppetat, ex ſimilium, et affinium morborum affectionibus deſumatur; remediis paullatim adminiſtratis, quaſi tentando, vtrum ea natura ferat, an eisdem aduerſetur. Cuius quidem praecepti vtilitas in epidemicis quibusdam conſtitutionibus, atque in complicatis, rarioribus, incognitisque praeſertim morbis eluceſcit. In his quippe ob inſigne phaenomenorum discrimen, ob variam morbi faciem, quae a conſueto ordine recedit, atque ob plurium cauſſarum coniunctionem, earumque naturam vel non ſatis evolutam, vel prorſus abditam, cum artifex nequeat ſingulari malo facile proſpicere, a ratione ſimilium aegritudinum, atque ab iuuantibus, et nocentibus cogitur indicationes, et indicata deſumere. Quare, vbi eiusmodi incidat caſus, quisque facile videt, quae in aegro, aut extra eum poſita ſunt, ſumma cura eſſe inſpicienda, antequam auxilium quodcumque vſurpetur. Nouum ſiquidem non eſt, vt Clinici perhibent, illa etiam, quae ex communioribus artis regulis indicata, ac non parum vtilia videntur, interdum aliena, interdum contraria, interdum nocua exiſtere.

25. Cum igitur in ancipiti hoc rerum ſtatu effectus tantum, quos tentata edunt auxilia, veram queant curandi rationem commonſtrare, eos diligentiſſime artifex inſpiciat, perpetuo reputans, vbi illa proſint, dubium iudicium confirmare, et continuanda eſſe, ſecus, ubi noceant, fallacem indicationem oſtendere, et noua indicata requirere. Enim vero nihil magis morborum ſanationi officit, quam crebra medicaminum mutatio, quae licet neceſſaria non videatur, a quibusdam tamen medicis ideo ſolet inſtitui, vt ab omni remediorum materie paratiſſimos ſe praebeant,

beant. Dum enim ſatagunt nouis quotidie adminiſtratis auxiliis citius, certiusque ſalubribus naturae motibus obſequi, noxiis occurrere, et deficientibus opem ferre, tanta copia remediorum ea omnia mala imprudenter adſciſcunt, quae a neglecta ſimpliciſſima curandi ratione proueniunt, nouas aegris moleſtias pariunt, ac tot excitant commotiones, quae vires magis frangant, morbi exitum retardent, atque in peius immutent. Quare id rati praeſtantiores artis magiſtri nos monent iure tentata continuanda eſſe, quamquam non illico morbum iuuent. „Saepe enim, inquit Celsus, pertinacia iuuantis malum corporis vincit *)“; quia remedii vis, quae nulla initio videbatur, paullatim ſe explicat, ac neceſſariam poſtea perficit mutationem. Contra vero periculi plenum eſſet in ea indicatione, et remediorum vſu perſiſtere, quae nihil prodeſſe, vel naturae aduerſari cognoſcimus. „Natura enim repugnante, recte idem Celsus, medicina nihil proficit.“

26. Inde ſequitur celebre illud praeceptum, naturam, quo vergit, eo eſſe ducendam; quod ita accipiendum eſt, vt ſalutares eius motus adiuuentur, eiusque actio in aegri ſalutem nunquam medicamentis perturbetur. Non raro quippe humanum corpus tantum retinet priſtinae facultatis, et roboris, morbo licet detentum, vt queat propriis viribus praeſentem conditionem immutare, ac naturali quodam impetu ſibi illatas

*) De Med. lib. III. cap. XI. Sequor editionem, quam ex manuſcriptis, editisue codicibus emendatiſſimam ſummo ſtudio curauit Iil. Targa, vir eruditione, ſcribendi nitore, et artis vſu inſignis, a quo vtiliſſimum, quod parat, Lexicon Celſianum ii omnes auide expectant, qui ob latini ſermonis puritatem, et elegantiam in Celsi lectione ſaepe verſantur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0036
DFG

latas noxas nullo artis adiumento remouere. Nam alio modo si forte res accidat, ac vi morbificae caussae motus, et actiones naturae nec rite dirigi, nec intra quosdam limites consistere videantur, imo effraenes fiant, vel in aliquod viscus non sine noxa, aut discrimine vehementer irruant, protinus debent ad pristinum, vel nouum ordinem restitui, aut moderari. Quam ob rem vnum in omni casu seruandum est, vt artifex naturam sedulo contemplando huius actionem ad aegri salutem dirigat.

27. Pro certo etiam habendum est naturam consuetis gaudere, et insolita aduersari, ac tantam proinde esse in humano corpore consuetudinis vim, vt eadem quasi altera natura habeatur. Cum enim solitae res corpus minus afficiant insuetis, et nouatio quaecumque in iis, quae continue corpori accidunt, sine passione, aut molestia nunquam fiat, latissime patet in homine consuetudinis imperium. Hinc eius subsidio et grauissima opera exercere, et prauis alimentis vesci, et quaedam venena haurire, aliaque praestare ille potest impune, quando eisdem iam assueuerit, quae sanus sine sanitatis detrimento, ac vitae periculo nunquam efficeret. Hinc propter ipsam quoque consuetudinem accidit, vt homo nequeat plerumque facile et tuto, ab ipsis etiam erroribus in vsu sex rerum non naturalium admissis se repente subtrahere, atque ad rectam viuendi rationem redire. Hinc denique sequitur, vt cum quis mutare aliquid velit, paullatim debeat assuescere: quod quidem praeceptum sanos magis, quam aegros respicit. Quamquam enim et in his generatim expediat, vbi per morbum liceat, ipsam etiam passionem, quae a nouo, etsi optimo, repente admisso procreatur vitare; »ea nihilominus molestia, »ait rectissime Lommius, in aegrotantibus non tanti »putatur, quanti morbi depellendi necessitas, quae »magni-

„magnitudine ſuperat eam, quae ſub lenta mutatione „eſt, ſecuritatem“ *).

28. Conſeruatio autem ſimilibus, curatio contrariis abſoluitur, ſi plerique audiantur medicae artis profeſſores, dum alii vtrumque non ſemper verum eſſe contendunt. Nam ad primum quod attinet, etſi admittant corpus opportuna reparatione indigere, vt ſanum ſeruetur, negant tamen eius integritatem ſeruari appoſitione eiusdem materiae, quae iam defluxit, cum videant ad ſanitatem tuendam ſaepe expedire aliam materiem deſumere, alium in vſu non naturalium rerum ordinem ſequi, ac ſubinde etiam contraria vſurpare. Verum qui ita docent, ſolum oſtendunt conſtitutam regulam eos non reſpicere, qui, etſi in ſanorum numero adhuc veniant, minus integrum tamen, vel prauum habitum ſortiti fuerunt, non autem probant conſeruationem vſu ſimilium in iis non fieri, quorum temperies, natura, et conſuetudo impediunt, quominus a ſimilibus exceſſus contingat. Ad ſecundum vero quod ſpectat, nempe curationem contrariis perfici, ſunt pariter qui PARACELSUM ſequuti propoſitis quarundam curationum exemplis denegent, aut ſaltem perpetuum non eſſe contendant. Sed eos facile refellit HALLERUS **), animaduertens contraria curari contrariis, iis videlicet, quorum effectus morbificae cauſſae in futurum aduerſantur.

29. Queacumque porro remediorum genera indicata videantur nunquam clinicus negligat in magnis, et celerrimis paſſionibus continuo, et ſemel validiora remedia experiri; in leuioribus vero, et lentis morbis lenia, et quidem ſenſim vſurpare. Fac enim, exempli loco, diriſſimam illam anginae inflammatoriae ſpeciem praeſto eſſe, quae breui ſuffocationem portendit,

*) De ſanit. tuend. Comm. pag. 103.
**) Lib. cit. Vol. V. §. ſeq.

tendit, nisi cito, plenaque manu sanguis educatur, donec respiratio liberior fiat, et suffocationis metus cesset, spiritu repente intercluso occiditur homo, quem artis auxilia rite, et opportune administrata seruassent. Quare medicinae proceres generatim monent inter vim morbi, ac remedii, proportionem semper esse debere, ipsamque medendi occasionem, vt loquitur HIPPOCRATES, celerem esse, seu momentosam, cum ab uno saepe momento vita, aut mors hominis pendeat.

30. Quemadmodum vero in summis malis breue spatium est, intra quod, nisi auxilium prosit, aeger aut in maius discrimen adducitur, aut extinguitur; ita lentorum morborum curationem nil magis peruertit, quam nimia quorundam medicorum festinatio, qui vt miraculi instar morbum sanasse videantur validiora artis auxilia confestim praecipiunt, eademque crebro, intempestive, et audacter propinant. Hoc siquidem tumultuosum, et vehemens medendi genus functiones perturbat, secretiones laedit, excretiones sollicitat, vel cohibet, ac corporis robur magis infringit. Hinc morbus antea leuis, et mitiori curationis methodo adhibita solutu facilis, grauis plerumque fit, in longum trahitur, et aegre discutitur. Sedulo igitur medicus caueat, ne remediorum abusu, aut agendi temeritate leuem aegritudinem exasperet, nec unquam obliuiscatur ad morbum euellendum non semper opus esse medicamentis, et quoduis remedium, quoties superuacaneum est, euidenter nocere.

31. Neque illud in medicina facienda debet ignorari non eadem auxilia in eadem licet indicatione cuique conuenire ob propriam cuiusque hominis constitutionem, quam idiosyncrasiam (ἰδιοσυνκρισίαν), seu arcanam quampiam proprietatem, veteres appellabant, quae a varia humorum commixtione, a diuerso solidarum partium habitu, atque a dissimili sensilitatis,

et

irritabilitatis modo proficiſci videtur. Hac quippe fit, vt homo, ſiue ſanus, ſiue aeger, ab iis perſaepe laedatur, quae alter ſine noxa ſuſtinet, imo ille quaedam adſpernetur, et horreat, quae hic ſumma voluptate appetit. Quamobrem fieri nequit quin, eiusmodi corporis proprietas in ipſis quoque ſe exſerat medicamentorum effectibus, prout reuera ſe prodere experientia crebro euicit. Non raro enim obſeruatum eſt, vt vnum tantum proferam exemplum, opium, quod generatim ad dolores, et ſpaſmos conſopiendos praeſentiſſimum pharmacum eſſe ſolet, vni homini hoc ſine porrectum ea doſi, qua innoxium, et vtiliſſimum communiter cenſetur, inſigniter offeciſſe: ob neglectam ſcilicet animaduerſionem, quae in huius medicamenti vſu, et copia ſingularis aegri natura requirit.

32. Caeterum quoties tutiora, quae videbantur, remedia non profuerint, toties dubia etiam oportet experiri, vbi nullum ex his vitae periculum immineat. Cum enim ad medici officium pertineat cuiusque morbi curationem omni ope tentare, ſi auxilia, quae ſalutem certo polliceantur, paratiſſima non habeat, vel quae optima iam iudicauerat, ob abditam aegritudinis indolem, vel ob peculiarem aegri conſtitutionem inutilia ceſſerint, nonne debebit etiam minus indicata, et dubia experiri? Idque eo fidentius agere quo magis eiusmodi remedia nec grauem noxam, nec vitae metum vnquam allatura videantur? „Tum ſane ſatius „eſt“, dicam cum Celso „anceps experiri remedium, quam nullum.“ Nam eo in caſu, in quo ab ancipiti medicina vita in diſcrimen poteſt adduci, ab ea prorſus eſſe abſtinendum, quis eſt qui non videat?

33. Non inde tamen conſequitur quod idem ait Celsus „prudentis medici eſſe eum, qui ſeruari ne„quit, non attingere, ne videatur occidiſſe, quem „ipſius

„ipsius fors interemit“ *). Nam, etsi plerique medicorum ita sensserint, nec desint, qui adhuc credant eos, quorum morbus iam conclamatus habetur, inuisendos non esse, ne artificis fama in discrimen adducatur, neue ipsa ars criminetur; nihil tamen hac opinione excogitari potest quod magis humani animi naturae, et arti repugnet. Nam donec aliquid sanitatis, et vitae supersit, supersit sane aliquid in quo artifex queat se se vtiliter exercere. Sit quidem omnis iam spes salutis abiecta, sitque ipsa fere mors in propinquo, adhuc pars est medicinae morbum, quo vsque fieri potest, lenire, vitam, quo diutius licet, protahere, aut saltem cum ad extrema iam ventum sit, ipsam mortem minus funestam, doloribusque expertem efficere. Ergo medicus studiosissime caueat, ne hominem in tam misero rerum statu versantem deserat; sed eum misericors, et comis attingat, peramanter consoletur, ac postquam, nuntiato propinquis et amicis funesto morbi euentu, suam famam in tuto collocauerit, quae ad eius officium adhuc pertinent omni cura perpendat, ac protinus expleat.

34. Praeter haec vero, quae in dubiis indicationibus artifici magno adiumento esse solent, quaedam alia rursus nouisse interest, quae ab eo, cum morbi cuiusque curationem suscipit, sedulo animaduerti, ac rite debent expleri ne secus aut eius nomen, aut ipse aeger periclitetur. Quod quidem non raro euenit iis regulis posthabitis, quae medicum aegros adeuntem proxime respiciunt. Inter multa vero, quae in hanc rem afferri praecepta possunt, illud videtur potissimum, quod medicus ad aegrum accedens rationem perspectam habeat quaeque eruendi, quae non solum morbo generatim communia sunt, sed huic singulatim propria censentur. Studeat itaque, et quae in aegro, ac circa eum

*) Loc. cit.

eum se se offerunt, sensusque proxime afficiunt diligenter contemplando perfecte eruere, et quae abdita sunt, ac non nisi aegri, vel assidentium confessione reuelantur, appositе, ac minutissime percunctari, vt nihil eorum, quae scitu vtilia esse possunt, eum fugiat. Sicuti enim ad veram curandi rationem sola ducit absolutissima aegritudinis notitia; ita haec ab accuratissimo examine in aegro instituto solummodo pendet. Non ergo superuacaneum erit, quae artifex generatim intueri, percunctarique debeat, paucis proponere.

35. Medicus itaque cum aegrum inuisit non protinus ac venit brachium manu apprehendat, vt pulsum exploret, nec illico nimis curiose, et anxie in morbum inquirat ne sollicitudinem aegri dubitantis quomodo illi se habere videatur, imprudenter augeat; sed hilaris vultu, et facilis sermone breuiter aliqua proloquatur amice, quibus illius fiduciam sibi comparet, dein sciscitetur quemadmodum se habeat. Tum vero quasi aliud meditetur, aut agere velit infirmum propius intueatur: „ob quam caussam, vt Celsus appositе mo„net, medicus neque in tenebris, neque a capite aegri „debet residere; sed illustri loco aduersus eum, vt „omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat“. Perspiciat scilicet an pallor, aut rubor faciem occupet, oculi sicci, aut humidi sint, prominuli aut concaui, et tristitiam, vel spem, vel quemlibet alium animi affectum significent; num mens sibi constet, num spiritus facile aut aegre, lente aut celeriter ducatur, numque in voce, et auditu aliqua mutatio acciderit.

36. Hisce perspectis aegri aetatem, temperamentum, corporis habitum, et robur, ingenii vim, animique naturam, vitae genus, praegressam valetudinem, diaetae rationem, fortunam, atque alia huius census studeat cognoscere. Percunctetur dein ab aegro, num alias eodem morbo laborauerit, atque in eum num

contage, an aliquo cuiusque generis errore in vsu rerum non naturalium commisso inciderit, et quonam modo, quibusque auxiliis ad pristinam iterum sanitatem redierit. Scisciteur praeterea cui causae aegritudinem tribuat, a quonam tempore prima eius indicia senserit, qua die lecto se commiserit, quae antea passus sit, numque aliquid, et quo item euentu ad malum curandum egerit.

37. Propius vero ad morbi inuestigationem accedens percunctetur, num cubans infirmus capite doleat, vel aliquam in gutture, pectore, stomacho, praecordiis, abdomine, renibus, aliisque partibus molestiam percipiat; num in vtrumque latus se conuertere, et vtrinque recumbere facile queat; oris siccitate, et siti vexetur, prauo oris sapore, et nausea laboret; animo interdum deficiat, aut saltem insolitam, et magnam lassitudinem sentiat; an ad vomendum subinde incitetur, aluum habeat compressam, aut apertam, itemque parum, aut copiose fluentem; an aegre vel facile, raro vel crebro, parce vel largiter mingat; an alicui purgamento assueuerit, hocque rite procedat, sudoribus diffluat, et prauum tunc halitum emittat, an tussi sicca, vel humida teneatur, aliquid expectoret, vigilia occupetur, vel insolite in somnum propendat, atque inter dormiendum num insomniis, tetrisque imaginibus perturbetur; an potum et cibum, et cuius porro indolis appetat, et commode ferat, vel fastidiat, et respuat, an denique cuiuspiam medicamenti vsum aegre sustineat.

38. Linguam deinde medicus inspiciat visurus vtrum humore madeat, et munda sit, an arescat, et sordeat. Exploret pariter, qui calor cutis sit, et quae eius mollities vel ariditas, numque eam insolitus color, aut exanthema occupet; imo, dorso manus ori admoto, studeat percipere, an aura, quae inter exspirandum e pulmonibus erumpit, nimium incalescat,

tum maxime quando aeger ardore, aestuque vexatur, aut valida febre, vel inflammatione detinetur. Hypochondria, et abdomen postea contrectetur, et quidem diligentius quo iam innotuit, vel metus subest in hac corporis sede morbum, aut eius causam speciatim sitam esse. Denique vrinam, sputa, si quae adsunt, et faeces ipsas inspicere, quorundam more, nunquam negligat, cum inde, et signa ad morbum penitius cognoscendum, et notae ad eius exitum pronunciandum, atque indicia ad curationem rectius instituendam persaepe eruantur.

39. Post haec, aut vix paullo ante manum pulsui admoueat continue reputans animo mutationes, quibus ex aetate, temperie, propria corporum natura, sexu, vigilia, somno, cibo, potuque assumpto, digestione, motu, dolore aliquo, animique pathemate pulsus obnoxii fiunt, ne quae istis debentur morbo tribuat. Neque in vno carpo, at in vtroque pulsum semper exploret, dextro laeua, sinistro dextra admota, idque postea repetat curando, vt quauis vice quinquaginta saltem pulsationes persentiat, seu potius, quod rectius est, tot ictus percipiat, quot intra vnum, aut alterum horae momentum micando edit arteria. In hunc finem horologio, quod minima tempuscula, seu secunda minuta denotet, interdum vtatur, quando vtile est mutationes, quae in pulsibus quo ad frequentiam et celeritatem in singulis accessubus, aut exacerbationibus, et incrementis fiunt, omnino perspectas habere, atque inter se comparare. Nec demum duos tantum digitos, sicuti quidam temere faciunt, carpo applicet, sed quatuor paralellos, riteque iunctos, singula item in pulsibus explorandis praestans, quae ad omnia eorum discrimina detegenda potissimum valent.

40. Interea studeat artifex ne obliuiscatur eorum quae pro sexu, et aetatis discrimine propriam animaduersionem desiderant. Foeminis quippe, et infantibus

bus cum medetur alia rursus inquirenda supersunt. Nam, vt de illis prius dicam, scisitandum est, an menstruus sanguinis fluxus praesto sit, vel immineat, vel iamdiu substiterit, cum vero flueret sanguis, qua copia, qualitate, et ratione erumperet; vtrum nupta ea sit, an vidua, an albo fluore laboret, an vnquam conceperit, tumque maturum partum in lucem ediderit, et facile, aut aegre excluserit, aut abortum passa sit, an vterum gerat, quo grauiditatis mense consistat, quibusque inde prematur incommodis; an denique recens enixa infantem suo lacte nutriat.

41. Infanti vero, vt succurramus, praeter illa, quae cum adultis communia sunt, ab eius matre, aut nutrice percunctandum est, num ipse a sanis parentibus ortum duxerit, aliquot iam dentes emiserit, atque iis erumpentibus in alui fluxum, febrim, et reliqua, quae difficilem dentium eruptionem comitantur, semel, aut iterum inciderit, an variolas passus iam sit, ac quidem benignas aut malignas, an vermes vnquam deiecerit. Scire pariter interest, num aliqua lacteae crustae, aut incipientis rachitidis signa idem infans prae se ferat, ventre tumeat, irrequie, vagitu, vigilia, et similibus aliquid se interne pati significet, convulsionibus subinde corripiatur, hernioſus sit, solo lacte viuat, vel aliis, quibusque cibis vesci incipiat, ac caetera, quae ad eius aetatem propius pertinent.

42. Verum, vt redeam ad generalem aegrorum inspectionem, monuisse oportet, quosdam interdum occurrere, qui, cum propriam aegritudinem exponunt, ea e consilio subtrahunt, quae medicum ducere possent ad proximam illius caussam detegendam, vel cum singula morbi phaenomena narrant veram eius originem fateri detrectant. In

eiusmodi porro casu prorsus expedit, quod reuelare aeger renuit ab eius amicis, et propinquis percunctari, vt ab iis morbi caussa patefacta aegrotanti licet inuito artifex tuto subueniat. Quod si neque ab his datum sit rei veritatem eruere, ipsa vero morbi phaenomena caussam, quae suspicatur, subtus latere quodammodo suadeant, haec tantum in dirigenda curatione attendat aegri negantis, et in exitium se se praecipitare volentis peruicaciam parui pendens, quin eum, vt quidam temere solent, verbis seueris increpet.

43. Sed aliud aegrotantium genus medicus interdum offendit, quibus proprium est, morbum, eius symptomata amplificando, adeo augere, vt imperitum, vel nouum artificem non raro decipiant. Sunt huius census potissimum meticulosi, hypochondriaci, valetudinarii, et melancholici. Quamobrem cum eos medicus attingit diligenter caueat, ne cunctis, quae narrant, fidem protinus adhibeat, sicque eorum opinioni nimium obsequendo in errorem adducatur.

44. »Ex his autem intelligi potest, dicam cum »Celso ab uno medico multos non posse curari; »eumque, si artifex est, idoneum esse qui non mul»tum ab aegro recedit. Sed qui quaestui seruiunt, »quoniam is maior ex populo est, libenter ample»ctuntur ea praecepta, quae sedulitatem non ex»igunt *).« Quare videant, qui huc illud cursitando perfunctorie medicinam exercent, totque aegros lucri caussa curandos assumuut quot eorum auxilium implorant, quique perampla nimis valetudinaria nutriunt, ne cum summa cura singulis consulere non sustineant, et propria intueri prohibeantur salutarem artem

*) Lib. III. Cap. IV.

artem in opprobium, hominumque perniciem traducant.

45. Oportet denique, (verbis PETRI DE ROTUNDIS *) rem totam concludam) „vt medicus de aegro „suo praesens absensque cogitet, assiduusque ac se„dulus illi sit, ne quod boni attulerat, corrumpat „incuria; sed nec tristem seueritatem, morosita„temque prae se ferat, qua ominosus videri possit; „nec importunam festiuitatem qua moueatque fasti„dia, et suspicionem iniiciat parum tangi se lan„guentis discrimine. Facile aegrotantis fidem, spem„que excitat composita ad misericordiam species, „grauitasque, atque id omne quidquid fuerit vel „prudentiae, vel non ineptientis hominis argumen„tum. Videat quoque ne longius euagetur extra „rem suam; neu sibi diutius in eo placeat, quod „suo sit ab officio alienum; illud ob oculos vnice „habens ad quod vocatus praecipue est. Quin et „de suis partibus non plus quam necesse est, par„ce scilicet, grauiterque differat; tum vt fidem ope„rae suae faciat verecunda sobrietate sermonis; tum „vt ne loquacitate fatiget auscultantes; quod solent „vana quaedam ingenia in facienda porro arte a qua „sanitatem expectant homines, non facundiam.“

*) De cur. feb. acut.

CAPUT II.

De recto aeris vsu in secunda, et aduersa valetudine.

46.

Aeri, qui nobis effunditur, tantam vim in humanum corpus tribuit natura, vt inter potiores vitae et sanitatis cauſſas, ac maiora aduerſae valetudinis praeſidia rectus eius uſus habeatur. Nam ſine aere nec reſpiratio, eiusque officia cum vitae cauſſis, et effectibus arctiſſimo nexu coniuncta poſſunt abſolui, nec, quae per pulmones, et cutim ſuperfluae, et corruptae profluunt particulae, eliminari. Nec pariter ſine recto eius vſu corporis calorem recte conſeruari, vires cordis, muſculorum, neruorumque tueri et refici, digeſtionem rite perfici, fluidas, ſolidasque partes a corruptione defendi, aliaque poſſunt expleri. Nec denique poſſunt, qui in aduerſam valetudinem inciderunt ad priſtinam integritatem redire, niſi aer eiusmodi ſit, qui moleſtiam, et noxam non modo non afferat; ſed aegris ipſis ſubueniat, imo interdum efficaciter medeatur.

47. Neque ipſa ſolummodo commoda, quae ſanis, et infirmis ex aere obueniunt, eodem recte vtendum eſſe praecipiunt. Modum quippe in eius vſu ſeruari oportere, ne is ſecus morbi, aut exitii fortaſſe cauſſa exiſtat, poſtulant rurſus, quae vtrisque impendunt aerumnae quoties ipſe a priſtina puritate, temperie, integritateque deſciuerit. Tunc porro tantam nocendi potentiam aer adipiſcitur, vt modo ſubito, aut lente hominem paullo ante ſaniſſimum perimat, modo eum grauiſſimo morbo corripiat, modo iam infirmum grauius laedat, imo ſalutarem morbi exitum

prae-

praeuertat. Nam, vt mittam lethales effectus, quos aer facile edit, cum venenata multigena aeriformia fluida secum abripuit, nonne alicubi haerens, diuque conclusus anxietatem, anhelitum, asphyxiam, mortemque infert? Nonne multorum hominum, quos angustus locus recipiat, respiratione corruptus similia efficit? Nonne putridis, morbidisque aegrorum emanationibus onustus grauissimas, et saepe funestas aegritudines accersit?

48. Haec impurus efficit aer, nec parum nocet cum aequo calidior, aut frigidior euaserit. Ab eo enim iusto calidiore aqueis diflatis humoribus, et reliquis valde inspissatis irritatio fibrarum, sitis, febris, cephalalgia, inflammatio, et deliria induci solent; quemadmodum ab eodem solito frigidiore, constrictis admodum fibris, ac cutis spiraculis ferme occlusis, perspiratio imminuitur aut cohibetur, rheumaticae affectiones accedunt, vel, vbi adsint, atrocius saeuiunt, et inflammationes promouentur, vel ad necrosim perducuntur. Quae quidem mala magis inualescunt quotiescumque iusto calidiori, aut frigidiori aeri nimia eius humiditas, vel siccitas accesserit.

49. Quare cum aer tam facile, et valide corpora demutet, imo citius plerumque, ac vehementius quam caetera rerum genera, quae nos quoquomodo afficiunt, plurimum refert siue ad tuendam, siue ad restituendam valetudinem, rationem non ignorare qua debeat ipse tum sanis, cum infirmis accommodari, seu quasnam proprietates habere, vt pro varia corporis dissimilitudine illis praesidio sit, istis auxilio. Itaque scire expedit aerem, vt saluberrimus, et cuiusque hominis naturae accommodatissimus sit, purum semper esse oportere, vtut maritimus sit, aut mediterraneus, seu terrestris. Maritimum enim terrestri minus purum, et salubrem esse opinio est, quae indubiis testimoniis hominum, qui longissima nauigatione

extremas fere orbis partes nuperrime attigerunt, ac maxime Cookii obseruationibus euidenter refellitur. Hi quippe in medio cuiusque maris, atque in immenso oceano ad respirationem conseruandam, atque ad omnes functiones, et actiones rite obeundas aptissimum, et puritate, aliisque dotibus saluberrimum aerem repererunt; itemque optimum experti sunt in ipsis maris oris quoties aqua prope eas non haereret, nec instantium montium cacumina, aut fretuum angustiae liberos ventorum afflatus impedirent.

50. Hic pariter loci alienum non erit monuisse veritati consonum non esse, quod de aere lacustri tradunt plerique, cum eum vtpote proximis montibus concluſum, nec satis purum et tutum, ac nimis humidum iudicant. In maioribus siquidem lacubus, quorum aquae late patent, et regularibus ventis crebro exagitatae feruent vndis sat purum et tutum aerem esse ii euidenter ostendunt, qui etsi prope illos continue degant, quemadmodum qui Banaci, Verbani, et Larii littora incolunt, aut saepe in eisdem nauigent, imo nautas perpetuo agant, incolumes diu viuunt, vltimamque sat firmam senectutem attingunt. Humidior vero terrestri quominus eiusmodi aer interdiu saltem iudicetur, faciunt potissimum experimenta, quae vespertinis horis Ill. et Cel. Collega Volta in Lario lacu nuper instituit. Hygrometri namque subsidio inuenit eo humidiorem vespertinum aerem sensim fieri quo nauicula, qua ipse vehebatur, ad littus magis properabat, ita vt terrestris longe maiorem humiditatem ostenderet. Quam quidem obseruationem nebulae vlterius, caliginesque confirmant, quae humilioribus Insubriae locis, imo montibus ipsis, quam Verbano, et Lario crebriores, densioresque notantur.

51. Nimis etiam tenuis et leuis aer, vel nimis crassus, et grauis, tutus et salutaris non est. Nam aequo crassior, et grauior ob multiplices causas, quas patho-

pathologi recenſent, ſi non ſubito, ſaltem paullatim, virium robore fracto, earumque actionibus perturbatis noxam infert, ac plures aegritudines accerſit. Iuſto autem tenuior, et leuior non ſolum eorum longaeuitati, qui in eo degunt, parum proſpicit viribus vitae validius, quam oporteat, excitatis, et organis ob celerrimos circulationis, et reſpirationis motus ocyus attritis; verum etiam inaſſuetis manifeſtius, et citius officit. In iis proinde, qui editiſſimorum montium iuga petunt cum eiusmodi aerem primo inſpirant, anhelitus, palpitatio cordis, et creberrimi ictus arteriarum illico praeſto ſunt, facies inſolito rubore inſtar eryſipelatis ſuffunditur, ac ſubita laſſitudo omnia membra occupat: quemadmodum vel Ill. et Cel. SAUSSURIO nuper accidit, cum montis eorum omnium, qui in Europa ſunt altiſſimi, cacumen incredibili prope auſu attigiſſet *).

52. Cum autem ad aeris puritatem, ſalubritatemque ſolis, aut lucis actio magnopere conferat, et diurnus proinde praeſtet nocturno, ac meridianus matutino, quisque perpetuo ſtudeat, vt eodem ſereno, lucidoque, quo fieri magis poteſt, perfruatur, ne ſecus, dum quorundam more lucem, vt nocuam pertimeſcit, et fugit, corporis inde robur amittat, morbidamque conſtitutionem ſibi comparet. Qui enim in tenebris, aut in vmbra diu verſantur, etiamſi aeris renouationem non omittant, purumque inſpirent, vel loca inhabitant, quae multam lucem prohibent, vel huius vſuram conſulto perfugiunt, floridum, natiuumque cutis ruborem, decoremque amittunt, ſquallidamque et macilentam faciem ſenſim induunt, niſi aliis etiam gracileſcentis in dies corporis, depraua tique habitus incommodis multentur. Quae quidem mutationes cum iis, ni fallor, plurimum conueniunt,

*) Voyag. au Mont Blanc.

unt, quibus ipsa vegetabilia ob lucis defectum obnoxia euadunt, quae inde decolorantur, gracilescunt, et singulare prope morbi genus contrahunt.

53. Nec sereno tantum, aprico, lucidoque aere sanus quisque indiget, vt salutares eius effectus experiatur, sed eodem aperto, quam liberrimo, et ventis, qui renouationem subinde praestent, impuritatesque depellant, opportune exposito. Secus enim vbi circumfusus vndique aer sit in humidioribus terrae locis concluſus sua integritate paullatim amissa insalubris, et nocuus euadit. Docent id epidemicae quorundam morborum constitutiones a subito stagnante aere profectae; docent endemicae, aut stationariae aegritudines, quibus quaedam regiones ex hac potissimum causa maxime fiunt obnoxiae; docentque Cretini (sic eos appellant), qui non aliunde in singulare, vereque miserum morbi genus incidunt, quam ex vitio quod calidus aer in vallibus Sedunorum concluſus concipit; sicuti iure magni nominis Philosophus Saussurius in eiusmodi aegritudinis causas sapienter inquirens nuper reperit *). Cuius quidem dirae aegritudinis effectus ob laesam fabricam partium, quae cerebrum constituunt, atque occludunt, quorundam Cretinorum, qui mortem obierant, capitibus reseratis Ill. et Cel. Collega Malacarnius nuperrime patefecit **).

54. Rusticanus vero aer, itemque montanus, et agrestis vt vrbano puritate, aliisque dotibus praestat, sic ille isto longe salubrior existit; quin tamen verum sit, quod nonnulli perhibent, vrbanum generatim insalubrem esse, ac pluribus morbis caussam praebere. Huic enim sententiae experientia aduersatur, quae vrbanum sat tutum et salutarem declarat, ac tunc solummodo nocuum euadere, quando in vrbe illae caussae

*) Voyages dans les Alpes. Tom. II. Chap. XLVII.
**) Mem. sur les Cretins.

sae vel praesto sint, vel prouide non arceantur, quae eum impurum, foedum, multimodis corruptum, nimis grauem, stagnantem, crassum, humidum, nebulosum, ac subitis vicissitudinibus obnoxium efficiunt. Sunt eiusmodi halitus e sepulcretis, valetudinariis, carceribus, et cloacis erumpentes; viarum sordes; lanienae non satis absterſae, animalium et vegetabilium putrescentium effluuia, fimeta vel in vrbe, vel prope moenia sita; proximarum paludum aurae; minorum siue lacuum, siue fluminum aegre se mouentium vicinia; liberi ventorum afflatus syluarum densitate, platearum defectu, viarumque angustiis impediti; praua aedificiorum constructio; coelum admodum inaequale, et nimiis imbribus patens; atque alia huius census, quae neminem latent.

55. Haec autem omnia, quae aerem maxime iniuriosum reddunt, eo diligentius a quauis vrbe remoueantur quod horum aliqua ipsum caeterum salutarem adeo corrumpant, vt summam nocendi potestatem adeptus, vbi inspiretur, asphyxiam, mortemque cito inferat, quae non facile possit auerti. Hic enim breuissimum, imo vix aliquod spatium est intra quod, si auxilia non profuerunt, homo extinguitur. Ex quo euenit, vt propere ea rapienda sint, quae mephiti oppresso subueniunt. Sunt huius generis subita hominis in apertum, purumque aerem translatio, vitalis, si suppetat, aer in pulmones continuo demissius, frigidae aquae inspersio, eiusque lotio, frictiones rite institutae, diuque protractae, clysteres acriores, ac caetera, quae generatim possunt respirationis, irritabilitatis, at sensilitatis actiones suscitare, viresque erigere.

56. Ad id maxime expedit illud omne naribus subditum, tum in os instillatum, ingestumque, quod ad lethiferam inspirati aeriformis virus naturam eneruandam, corrigendamque speciatim valet. Vt enim mephi-

mephiticae aurae natura differunt, ſic differant auxilia oportet, quae inde laborantibus ſubueniant. Quamobrem ſi ab aere fixo, vel acido malum naſcatur, alcali volatile naribus ſubditum magno auxilio eſſe ſolet; ſi ab aere alcalino, ac praeſertim putridis effluuiis vna inquinato, vel ab aere phlogiſticato, aut inflammabili acetum naribus illinitum, et ore aſſumptum ſummam opem praeſtat; ſi demum fiat ab aliis fluidis aeriformibus virus habentibus, atque a circumfuſo aere halitibus, effluuiis, et exhalationibus cuiusque veneficae indolis onuſto, ea conueniunt, quae cognitis virus principiis aduerſantur.

57. Quod ſi circumfuſus aer ob ſubtile, malignumque quodcumque miaſma ſecum aſſumptum, integritatemque non vna de cauſſa amiſſam adeo noxius et contagioſus euaſerit, vt peſtilentiam ſpargat, ſumma cura, et celeritate illa non ſolum perfici debent, quae ad tantam calamitatem arcendam, et profligandam, atque ad contagem prohibendam propius valere Politiae medicae profeſſores docent; verum etiam mature nitendum eſt munditie, cultuque corporis, temperantia, idoneo victu, appoſito rerum omnium non naturalium vſu, antiſepticis, aliisque praeſidiis, vt homo ad peſtilentiae vim impune ferendam, aut ſaltem eiusdem eluendam perniciem paratiſſimus reddatur.

59. Huc quoque plurimum facit ventorum obſeruatio. Nam venti non ſolum aequali, quo ambimur, aere nos validius percellunt, quod frigoris, aut caloris, atque vna ſiccitatis, aut humiditatis bona, aut incommoda ſubito, et vehementer nobis afferant, ſicque circumfuſum aerem vel ſalubrem, vel iniurioſum reddant; ſed ob alias rurſus mutationes, quas huic facile afferunt. Ipſi namque modo puriſſimi, et ſaluberrimi afflatu ſuo a vaporibus, effluviis, et exhalationibus nocuis circumfuſum, haerentemque aerem liberant, et purum, ac reſpirationi obeundae, et ſaluti conſeruandae

uandae aptissimum efficiunt; modo ob mephiticas auras, et noxia miasmata secum suscepta insalubres, et pernicioſi vitium, quod habent, cum vulgari aere propere communicant. Vtrumque porro demonstrant aegritudines epidemice grassantes, ac pestes atrociter saeuientes modo saluberrimi venti afflatu, et impetu mitigatae, atque interdum depulsae, modo venti contagem et perniciem secum habentis actione, quam nec sylvae, nec montes, eorumque spiracula occlusa poterant auertere, magna humani generis calamitate illatae. Caeterum quantam venti perniciem possint advehere vel vnus ostendit Samielus, aut Samu-el ventus, qui in Persia, et Arabia interdum adeo venenatus spirat, vt hominem confestim perimat, nisi illico obuersa facie se sternens eius iam aduenientis perniciem eludat.

59. Hinc facile eruitur quanti ad tuendam valetudinem referat, vt quisque probe noscat pro regionis, soli, et loci, in quo viuit, natura, quinam ventus salubris, quique nocuus existat, vt cum illum modis omnibus admittit, hunc studiosissime vitet. In hac vero re maxime facit regionis obseruatio. Etsi enim vel hodie verum generatim sit, quod post vetustiores medicos docet Celsus, dies optimos esse qui hieme vento vacant, aestate, quibus fauonii perflant, et, si alii spirent venti, salubriores septentrionales esse, quam subsolanos vel austros; non minus quoque verum est, quod idem auctor subdit haec interdum regionis sorte mutari. „Nam fere ventus vbique a mediterraneis re„gionibus veniens salubris; a mari grauis est *)“. Etenim aerem generatim loci, e quo prouenit, qualitatum semper esse participem Ill. et Cel. Collega Barletus accuratissimis, vt solet, obseruationibus euicit **). Ob quam sane causam accidit, vt boreas qui

*) Lib. II. Cap. 1.

**) Fisica Gen. e Part. T. 3. Art. III. pag. 45.

qui e praegelidis et niuosis Raetiae, Heluetiaeque montibus ad nos frigidus, et siccus spirat, vbi Insubriam, et Cisalpinam Galliam aestate pertransierit ad Apennini radices calidus et humidus perueniat; ac cum hic coelum serenum reddiderit; illic nubilum, pluuium, et procellosum efficiat.

60. Caueat proinde qui suae spontis est, ne vento nimio impetu, aliisue rationibus nocituro obuius fiat, multoque minus sub diuo celeriter inambulans, aut equo insidens, aut cisio vectus nitatur aduersus eum, ast domi maneat, aut inter vallata, et tuta loca se ipsum contineat. Vbi vero egrediendi, aut redeundi necessitatem domestica aut ciuilia officia, et negotia fecerint, spiranti boreae, vel aquiloni, vel austro terga obiiciat; os velet, nisi clausa feratur lectica, viasque legat, quae ventorum actioni minus patent; quiescens ne consistat; omniaque demum agat, quae futuram noxam auertant, eoque diligentius quo vel iam innotuit, vel metus subest non solo effraeni impetu, sed aliis quoque modis ventum sanitati minitari.

61. Sed vtile si est scire vnumquemque quod venti genus salubre, vel graue sit, quodque admittat, vel caueat, vtilius adhuc videtur eum probe cognoscere, in qua aeris temperie eius valetudo certior esse queat. Nam ea hominis incolumitati mirifice prospicit; licet arduum maxime sit limites constituere, intra quos in vnoquoque debeat consistere, vt tuta, et saluberrima sit. Ex multiplici siquidem discrimine, quod in hominibus etiam bene valentibus ob varias causas, ac praesertim ob summam consuetudinis vim animadueritur, facile incidit, vt temperatus quibusdam aer ille videatur, qui ab aliis modum excedere censetur, sitque illis plane innocuus, subinde vtilis, hisce alienus, et iniuriosus. Neque ignorare oportet, non eandem esse proprietatem in cunctis hominibus calorem interne gignendi, et euoluendi. Ex hac enim

causa

cauſſa potiſſimum euenit, vt quidam in frigidiusculo aere, alii in modice calido longe melius, quam in eo, qui plerisque temperatiſſimus habetur, vitam traducant.

62. Tutius hinc eſt aeris temperiem, quae cuique conueniat ex propria natura, atque ex illius potius effectibus, eruere, quam alia quacumque ratione metiri. Monent nihilominus medici apud nos generatim bene valentibus eam aeris temperiem conferre, quam hydrargyrum REAUMURII thermometro contentum vndecimo gradu ſupra glaciem denotat, aegris vero illam, quam idem hydrargyrum decimo tertio gradu deſignat. In illa quippe aeris temperie fere quisque, commoda vtens valetudine, bene ſe habet, nec aeger in altera ex frigore, aut calore moleſtiam generatim ſentit.

63. Verum vt eiusmodi regulam in aeris temperie ſeruare facile poſſunt, qui intra domeſticos parietes verſantur, contra nulla ratione eam poſſunt admittere, qui quotidie, et ſaepius intra diem domo egrediuntur. Ob quam cauſſam, ne aeris intemperie periculis opportuni fiant, ac facile aegrotent, alia indigent obſeruatione. Curare ſcilicet debent, vt temperies aeris, quem domi inſpirant, eam paullo ſuperet, qua exterior donatur; vel ſi quod in vtriusque temperie diſcrimen neceſſario debeat admitti, vt plerumque euenit, magnum nunquam ſit. Qua etiam in re corporis naturam, et regionis ſortem maxime iuuat inſpicere. Nam quod ILL. DUPLANILIUS generatim tradit *) cutis emanationem non ſupprimi, quando exterior aer eo, qui domiciliis haeret, decem gradibus frigidior ſit, hic loci non euenit. Vix quippe futum eſt generatim in apertum aerem tranſire, qui ſex gradibus interiore frigidior exiſtat.

64. Ne-

*) In not. ad Buchan. Prem. Part. Chap. VI. §. 11.

64. Neque solum sanus homo sibi caueat ab aeris temperie subito, crebro, valideque mutata, quae plurium morborum caussa existit, quando praesertim calori frigus protinus excipienti, aut viciſſim nondum assueuerit; verum etiam pari studio vitet reliquas conuersiones, mutationesque non minus periculosas, quae ob alias quoque caussas a frigore distinctas, in aere nos circum ambiente antelucanis et vespertinis maxime horis, ac certis anni temporibus accidunt. Curet idcirco diligenter, qui suae spontis est, ne summo nimis mane, neue multo nimis vespere externo aeri se exponat; aut saltem nonnisi capite tectus, et idonea munitus veste eidem non parum noxio se vnquam obiiciat. Quod quidem praeceptum in calidis et humidis regionibus, ac paluſtribus locis studiosius seruetur. Ibi enim aer tum primo diluculo, tum multo iam flexo ad vesperam die ob aliud etiam grauium halituum, effluuiorumque genus secum abreptum nocentior est.

65. Quod autem ad tempestates attinet, ex quibus, recte docente Celso *), optimae aequales sunt siue frigidae siue calidae, et pessimae quae maxime variant, satis non est autumnum hac de caussa omnium periculosissimum cum eodem auctore, aliisque veteribus existimare. Nam aeque subitas et frequentes in aere, quoad eius temperiem conuersiones martio, et aprili fieri rheumaticis affectionibus inducendis valde opportunas, ac septembri et octobri meusibus soleant accidere Ill. et Cel. Kirwanius nuperrime demonstrauit **). Quare toto anni tempore, quod hoc spatio intercluditur, ob aeris inaequalitatem facile noxio, valetudinem suam quisque diligentius curet, ne eius intempe-

*) Lib. 2. Cap. 1.

**) An estimate of the temperature p. 74.

temperie, subitisque mutationibus, quae a graui etiam vento fiunt, in aduersam incidat.

66. Hisce seruatis coelum licet inaequale, validisque conuersionibus obnoxium, nec temperatum sit, nec graui vento careat, saluti generatim parcit. Si tamen incidat casus, vt quisque graviorem eius, ac prorsus insolitam mutationem nequeat declinare, scire iuuat ad omnem fere perniciem eludendam oportere totum ei corpus obiicere, et aerem magna celeritate commutare. Vnum enim est Physicorum periculis euictum, qui obseruarunt aerem ob suas qualitates, ac nimium praesertim frigus infensum in vnam tantum corporis particulam impingentem cito, et grauiter nocere, vix autem, ac ne vix quidem officere sanitati, vbi pari vi, et modo in totum corpus irruat. Alterum innotuit similiter experimentis, quae post Illustr. Viros Banksium et Solandrium Ill. et Cel. Moscatus suscepit, proprio etiam corpore ad periculum magno animo exposito *). Haec siquidem demonstrant ab aere calidissimo in frigidissimum, et vicissim, vtut humiditas, aut siccitas alterutri se adiungat, hominem transire, quin praeter leues, et cito euanescentes molestias in morbum incidat, vt vir summus Fordycius **) etiam confirmat, dummodo haec ingens aeris commutatio repente fiat: quasi hac ratione ob summam tantae mutationis celeritatem ad grauem, vel diu saltem duraturam noxam inferendam non satis temporis aeri relinquatur.

67. Verum haec non omnia sunt, quae in aeris vsu quisque debet seruare, vt suae valetudini, diutinaeque conseruationi prospiciat. Etenim magni quoque refert quemque propriam corporis naturam cognoscere, eidemque aeris vsum prudenter accommodare.

*) Opusc. Scel. Mil. P. XV. pag. 113.
**) Elem. of the Pract. of Physic. pag. 75.

Hinc vbi aer siue natiuus, siue peregrinus ob regionis, aut loci sortem plane innocuus non suppetat, vel saltem ob singularem corporis naturam salutaris non sit, protinus quisque debet, ne secus aegrotet, ad salubre coelum se conferre, in eoque vitam traducere. Quod si nequeat impurum, et noxium aerem cum integro et salubri commutare, omni saltem modo nitatur vel eum corrigere, vel ab eius iniuriis se ipsum tueri. Vtrumque porro facile est perficere. Illud enim praestant variae rationes physicorum maxime studio, et obseruatione repertae; hoc nonnaturales res eo pacto vsurpatae, vt noxii aeris effectibus resistant, tum maxime optima aedificiorum, quae homo inhabitat, expositio, et constitutio, ac prudens vestium vsus, quibus obtegitur.

68. Sit domus idcirco sicco, elato, editoque, quo magis fieri potest, inaedificata loco, quem neque sylvae aut nimis proximi montes concludant, neque aquarum aegre fluentium, coenosarum, et palustrium vicinia obsideant. Sit ea ratione exposita, vt tutis, saluberrimisque ventis pateat, atque iniuriosos, nocentesque prohibeat, aut facile retorqueat. Sit pariter bene materiata, nec proinde recens aedificata, dealbataque vsui inseruiat, ne inde ex calce, vt interdum accidit, valde infensa, et lethalis mephitis erumpat, non subterraneis locis, aut saltem spiramentis, quae infimis aedibus subiaceant, ipsa careat, ne forte, si praesertim demissiori sita loco, humiditate obsideatur. Sit etiam tum in superiori, cum in inferiori eius parte in diaetas, cubicula, et conclauia opportune diuisa, tamque ordinate distincta, vt generatim quoduis domicilium, etsi penetrale, aut cellula, aut zotheca fuerit, mediis ostiis, et fenestris apte dispositis purum et salutarem aerem recipiat, eumque assidue renouari permittat, ac simul iniurias ab eius humiditate, intemperie, subitisque mutationibus nascentes auertat.

Sit

Sit denique eiusmodi, quae hyeme tepeat, atque aetate perflatu admisso calorem aeris moderetur, aut arceat.

69. Vt etiam salubris, et tuta domus existat, sit ita aedificata, siue multi, siue pauci in eam sint recipiendi, vt in qualibet sui parte laxitatis cura non desideretur, ac maxime in cubiculis dormitoriis, atque in triclinio, aut coenatione. Secus enim qui dormienti effunditur aer arcto nimis loco coercitus, tum inopportune incalescens, tum aura respirationis corruptus, saluti infensus, ac prope lethalis euadit. Insalubris etiam sit aer angusto ad prandendum, aut coenandum loco conclusus nec satis renouatus manantibus continue epularum, et ferculorum effluuiis, halitibusque ad eum, vt vir magni nominis PRIESTLEYUS iam euicit, corrumpendum aptissimis; eoque nocentior euadit quo in eodem plures versantur conuiuae, vel diutius manent, vel lautius, et magnificentius epulantur. Quam ob rem ad aeris integritatem studiosius curandam iuuabit suadere, vt in loco, in quo ad cibum sumendum homines discumbunt, aulaeis, peripetasmatis, et tapetibus neque parietes obtegantur, neque pauimenta insternantur, ne eisdem, aut cuicumque apparatui lana, aut xylino, aut villoso serico intexto effluuia ciborum adhaereant, diuque aerem inficiant. Nec minori iure monendum arbitror hypocaustum, si forte ad hyemis asperitatem moderandam triclinio sit applicitum, eiusmodi esse oportere, vt cum calorem effundit, nouum, purumque aerem continue trahat, atque vna ciborum emanationibus inquinatum repellat.

70. Neque vestes minus afferunt praesidii ad inclementis coeli noxas propulsandas, dummodo eiusmodi sint, quae saluti potius, quam luxui, nouisque moribus inseruiant. Ipsae namque nec leuiores, nec grauiores vbi sint, quam anni tempus, regionis natura,

sexus, aetas, consuetudo, ac propria cuiusque constitutio postulent, frigoris, vel caloris corpus aut nimium, aut subito afficientis iniurias arcent, humidi quoque aeris actioni aduersantur, cutis exhalationem conseruant, et motionis libertatem, facilitatemque tuentur. Quare qui sanus est caueat diligenter, ne iis obseruationibus neglectis, quas indumentorum ratio desiderat, in aduersam inde valetudinem, vt nostris maxime diebus euenit, temere incidat.

71. Porro vestimenta, quaecumque eorum sit forma pro vario gentium vsu admodum varia, ac quaecumque item materies, lanea scilicet, linea, serica, aut bombycina, eiusmodi generatim sint, quae calorem cum facile effundant, vel interius retineant, aeris siue calidi, siue frigidi iniurias auertant. Hinc tunicae carni adhaerenti, quam indusium in mulieribus, subuculam in viris nominant, quae superinduuntur vestes nonnisi leves, candidae, atque ex xylino, et serico intextae aestate probantur, hyeme vero diuersimode coloratae, ac maxime nigrae, pingues, graues, et laneae. Pari modo iuxta diuersam aeris temperiem pedes, tibiae, et femina ita obtegi debent, vt valetudinis potius quam mollitiei, et vanitatis caussa indutus, calceatusque quisque videatur.

72. Magni etiam refert in vestimentorum delectu, et vsu eam obseruationem non negligere quam praeter eas, quas regionis, et tempestatis discrimen requirit, propria cuiusque natura sibi vindicat. Ex hac enim tutissime eruitur, num ad frigus arcendum lanea indumenta non satis valeant, ac proinde pellicea expediant, num oporteat lanea vti subucula, vel huic thoracem ex lana superinduere, et vtrum praestet colobio, an manicata tunica corpus munire. Ex ea etiam rectissime deducitur, an vno potius, quam alio mense mutandae sint vestes, tum quae detrahi tuto possint, vel quae necessario assumi, quando iam factae ex anni tempo-

temporibus in aere, qui nobis effunditur, quoad calorem, aut frigus conuerſiones veſtium mutationem poſtulant.

73. Sed dum dico de veſtium mutatione, quam anni tempora, et tempeſtatum genera neceſſariam reddunt, non alienum quoque puto eos monere, qui veſtitui nimio indulgentes fere quotidie nouas veſtes induunt, ne leues vna die, graues altera aſſumant eadem coeli temperie exiſtente. Haec enim imprudens veſtium commutatio, quam ſaepe iuuenes ſequuntur, ac maxime foeminae, quae concinne potius, et noue, quam commode, et opportune veſtitae malunt videri, cum perſpirationem non parum laedat periculoſa, et grauis generatim exiſtit. Neque periculo, aut noxa carent qui curam cultus ſui, non ſalutis habentes, veſtibus, calceamentisque leuius tecti prodeunt, quam domi ſoleant operiri. Hi enim erumpentes e cute halitus confeſtim ſupprimunt, ac ſaepe non leues aegritudines accerſunt; humidioribus praeſertim locis. Ibi ſiquidem ob humidi etiam aeris vim quisque leuiter amictus grauiori adhuc perſpirationis vitio tentatur.

74. Igitur qui humido ſub coelo degunt maiorem in veſtium vſu diligentiam adhibeant. In primis curent, vt pinguibus veſtimentis muniantur, quae, niſi humidos vapores retorqueant, et arceant, ſaltem quos ſuſcipiunt, retineant, nec facile progredi ſinant ad partes, quas velant. Deinde nunquam negligant indumenta, et calceamenta, ſi humida ſint, rite mutare, eoque promptius, et diligentius, quo non multo humore conſperſa appareant. Etenim veſtes, vt iteratis periculis Franklinius euicit, niſi protinus deponantur, grauius nocent leui humore adſperſae, quam ſi maximo imbre madeant. Hoc ſiquidem in caſu totum corpus balneo veluti madefactum cum ſubito, et aequaliter affectum ſit, et pari modo relaxatum, noxam humoris vim minus ſentit, aut etiam eludit.

75. Haec vbi praecepta non negligantur parum refert inquirere, quaenam ſanitatis tutela veſtibus forma conueniat. Vnum tamen eſt, quod praeterire non licet, nempe aeſtate, ac maxime in calidis regionibus laxas veſtes expedire, ac contra hyemi, gentibusque frigidioris plagae aptas eſſe, quae partibus, quas tegunt, ſtrictim adhaereant. Nam illae internum calorem effundunt, hae retinent. Quod quidem cum ſuadeo, indumenta, et calceamenta nunquam eiusmodi eſſe volo, vt vim, aut moleſtam compreſſionem artubus, quibus adhaerent, ac praeſertim viſceribus inferant. Quem enim vel leuiter in medicina verſatum poteſt latere, quot, quantaque ab arctioribus ſiue veſtimentis, ſiue calceis mala naſcantur? Enim vero a ligamentis, vinculis, et fibulis artus, maximeque crura vincientibus faciles ſurarum motus prohiberi, earumque robur eneruari, et varicibus, ac poplitis aneurismati, aliisque morbis viam ſterni quis eſt, qui ignoret? Vbi vero collare, aut linea faſcia collum, cui circumducitur, valde conſtringat, vt vani quidam formae potius, quam ſalutis ſtudioſi temere ſolent, nonne cephalalgia, vertigo, aliaque capitis mala ſanum caetero hominem corripiunt? Calcei vero quoties et ipſi, ſin minus repandi, ſaltem habiles, et apti ad pedes neutiquam ſint, cum vrgent, nonne callis digitos obducunt, indurant, atque immobiles fere reddunt, pedibusque liberae motionis facultatem prae dolore adimunt?

76. In foeminis vero quot vel vnus thorax, qui muliebris dicitur, incommoda non procreat, quae a perturbatis, et laeſis ſtomachi, inteſtinorum, pulmonum, ac cordis, maiorumque vaſorum officiis ob adſtricta, compreſſa, atque e ſuis ſedibus dimota viſcera originem agnoſcunt? Quot praeterea in pueris ab arctiori quocumque amictu, ac ſpeciatim a thoraculis, ligamentisque, quibus vinciuntur, mala praeſto

non

non sunt; quotque in ipsis non obseruantur infantibus, quoties tenella eorum corpora non lineis, vt decet, pannis sint inuoluta, sed fasciis nimis arcte ligentur? Multa profecto, et grauia sunt damna, quae ex hac caussa cuique licet saniſſimo imminent.

77. Verum etsi vestes rite vsurpatae non leue praesidium ad aeris noxas propulsandas nobis suppeditent, interdum tamen nullam euenit vt opem afferant. Quandoque enim calidus aer subito orto imbre, aut vento excitato, frigidus repente factus hominem leuiter vestitum percellit, et laedit, antequam is potuerit vestes magis aptas induere. Alias accidit etiam, vt propter domesticas, aut ciuiles necessitates sui cultus curam coactus homo negligere vestimenta opportune mutare non possit. Quare rectiſſime hominum saluti consulere mihi videntur ii inter diaeteticos, qui ad aeris noxas, quae ab eius intemperie, subitisque mutationibus vel bene valenti impendunt, facilius, certiusque propulsandas praecipiunt, vt ipsum corpus eiusmodi viciſſitudinibus assuetum reddatur. Qui enim vel a prima aetate modo frigori, modo calori assueuerit, coelum apte mutauerit, modo ruri vixerit, modo ad vrbem redierit, atque omnes denique, quae in aere accidunt, varietates expertas habuerit, quam rariſſime ab eo damnum accipiet.

78. Paullatim autem id fiat. Nemini quippe, inculpata licet, et firma valetudine vtenti, tum in caeteris rebus, tum maxime in aere non officit genus repente mutatum; praesertim vbi quis modum ignoret, quo eiusdem mutationis effectibus occurrat. Ob quam potiſſimum caussam antiquorum virorum auctoritate, maximeque Hippocratis non modo ex salubri loco in grauem, sed neque ex graui in eum, qui

salubris est, satis tutum transitum esse Celsus pronunciauit *).

79. Sed quae ab aegris acuta praesertim passione detentis in aeris vsu propius seruanda sunt, iam dicam, patefactis potissimum rationibus, quibus medicus queat noxias eius qualitates, quas adesse cognoscit, protinus corrigere, atque ita quidem corrigere, ne cum vnum vitium remouet, aliud temere inducat. Igitur quoties aer prope hominem acuto praesertim morbo cubantem vel solo sensuum testimonio, vel adhibito etiam thermometro incalescat, toties est confestim temperandus frigidi accessu, donec interior cubiculo inclusus frigidiusculus euaserit. Hoc enim aeris genere aegri generatim, qui ex acuta aegritudine decumbunt, mirifice recreantur, atque ab aestu, anxietate, febre, cephalalgia, et delirio leuari plurimum solent. In hunc proinde finem oportet non solum cubiculi ianuas crebro referare, interdum continue patere, verum etiam, nisi tempestas repugnet, ipsas subinde fenestras, saltem propioris cubiculi ita diducere, vt frigidus aer paullatim admittatur, qui secus subito irruens aegro noceret. Nec inutile censetur ad conclavis incalescentiam moderandam frigida aqua, aut aceto aestivis maxime diebus cubiculi pavimentum irrorare, et vasa aqua repleta in eodem detinere, nisi etiam quisquam velit, quando ob siccum aeris calorem humor pertimescendus non est, pannis frigida madidis ante fores vel fenestras suspensis, vt Ill Monrous suadet, aestum prohibere, aut moderari **).

80. Aestui hoc modo medicus studet subuenire; neque alias negligit aeris quoque frigus, quod noxium praeuideat, opportune discutere. Raro nihilominus id

*) Lib. I. Cap. III.
**) Comm. De feb. arcend. et discut. 1770.

id vſu venit. In acutis enim paſſionibus frigidus aer calido tutior, atque vtilior generatim eſt; et vulgus nimis crebro ſolet aegri cubiculum admodum calfacere non leui plerumque eius detrimento. Ob hiemis tamen aſperitatem ſi aeger in frigido nimis aere verſetur, aut morbi natura ſubcalidum poſtulet, quemadmodum in pectoris morbis, aliisque a nimio frigore illatis generatim euenit, curandum protinus eſt, vt iis, quae frigus reſoluunt, aer non multum incaleſcat, ſed tepeat.

81. Etſi vero nil magis obuium videatur ad frigus diſcutiendum igne in aegri etiam cubiculo excitato; ſunt tamen quaedam in eius vſu ſeruanda, quae, ſine graui illius incommodo nunquam fere negliguntur. Inter haec curare oportet, vt ignis ſiue hypocauſto, cuius feneſtra in cubiculo late pateat, ſiue camino exceptus valde luculentus nunquam ſit, ne plus iuſto caloris effundat, ne nimia luce cubantis oculos perſtringat, viresque magis laedat, neue plus vitalis aeris e circumfuſo, et domicilio haerente abſumat, quam aliunde queat eodem tempore auocare. Sedulo item iuuat aduertere, ne externus aer impetuoſior, quam deceat, vi ignis cubiculum ſubeat, neue eius maxime fluxus in aegrum irruens nouum ei malum impingat. Expedit quoque ad ignem ſuſcitandum neque pluribus ſulphuratis vti, quae lignis, vt citius ardeant, accenſa admouentur, quoniam ex ſulphure tuſſi ſaltem, anhelitu, et ſternutamentis aeger corripitur; neque eiusmodi virgultorum, ſarmentorumque faſces adhibere, quae, cum calefieri incipiant, nidorem exhalent, quod ſano homini graue, imbecillo adhuc aegro grauius eſt; neque maiori etiam iure carbones unquam vſurpare: hi namque male excocti, cum ardent, mephiti euoluta, et vitali aere abrepto tantam interdum perniciem diffundunt, vt quisque ingenti capitis dolore, ſopore, aliisque malis corripiatur,

tur, quae nisi auxiliis alibi propositis (§. 55. 56.) breui discutiantur, asphyxiam, mortemque inferunt, Tandem in igne accendendo necesse est illud etiam curare, vt fumus, quem ligna emittunt, camino excipiatur; qui secus in cubiculum effusus oculorum acie prae lacrymis, et rubore perturbata, ac spiritu ferme eliso periculose aegrotanti valde noceret.

82. Ope itaque ignis licet quouis in casu frigidum aerem, qui aegro grauis est, ad eam reuocare temperiem, qua ille tepeat, et vernet, et siccus eodem tempore euadat. Quod si non modo subcalidus, sed etiam humidus aer expediat, quo contracta vasa laxentur, et inspissati nimis humores diluti, et resoluti tenuiora quoque vascula queant permeare, vtile est vasa magnae superficiei feruida, quae subinde renouatur, repleta, in cubiculo collocare; eam supra pauimentum fundere, aut saepe inspergere; stirpes, quae aqueis magis partibus abundent, aperto vase decoquere; et contabulationi, aut fornici panniculos, vt iam dixi, (§. 79.) humore subinde madefactos appendere, atque alia huius generis praestare, quae cum humidos vapores copiose exhalent, ad humidum aerem reddendum apta censentur. Hisce vero modis aer humore opportune suscepto, quibusdam in casibus valde vtilis euadit, ac praesertim in peripneumonia, et affinibus morbis, quando laxando, et diluendo iuuat benignam morbi resolutionem promouere, aut retenta sputa reuocare, neque ad alterutrum satis est calidae vapores ore excipere.

83. Contra si aeri nimius humor videatur adimendus vulgatissimum esse solet, praeter ignem, et flammam, vti suffitu, quem aromatica gummiresinosa corpora ardentibus prunis inspersa, aut accensa praebent. Aerem enim cubiculi, in quo degit infirmus, suffimenta subinde vsurpata, humore protinus depulso, siccum reddere censentur. Verum rem non ita se habere

habere Ill. et Cel. Achardius experimentis, obseruationibusque suffultus nuper demonstrauit *). His quippe innotuit, hygrometro adhibito quodcumque suffitus genus impar esse humidis particulis aeri adimendis, imo eum humidiorem plus minus semper efficere.

84. Quodcumque vero aeris genus siue sano, siue infirmo conuenire videatur, et quacumque ratione vtriusque vsui aer ipse accommodetur; quouis in casu summa cura eius renouationi oportet prospicere. Hac enim obseruatione quisque indiget, ac maxime qui acuta aegritudine detinetur. Hic quippe et aerem plus vitiat, atque corrumpit et ab omni motu prohibitus nequit mutatione locorum, quam subinde sanus instituit, nouum, purumque aerem sibi comparare. Saepius igitur, quam fieri communiter soleat, aer, in quo aeger versatur, renouetur referato alicunde conclaue, quo nouus purusque aer dum abunde trahitur, haerens antea, foedus, nidore obsitus, noxiis particulis onustus, atque aura respirationis, aliisque modis vitiatus depellitur.

85. Quandoque tamen accidit ob summum externi aeris frigus, aliamue eius iniuriosam qualitatem, aut ob singularem morbi indolem, et aegri naturam, vt tutum non sit exteriorem aerem in cubiculo admittere, quo interior lustretur, vel eo etiam admisso, hic neque cito, neque satis renouari videatur. Hoc interim in casu subsidia non desunt, quae rite vsurpata optime mutati aeris commoda aegrotantibus afferant. Huius generis potissimum habentur machinae physicorum industria inuentae, et aeris, vt dicunt, ventilationi dicatae, quibus tamen vario artificio elaboratis longe praestare mihi, aliisque videntur tubi, quos ad aerem renouandum Cl. Suttonius inuexit. Hi

*) Rozier Journ. de phys. Tom. 1. p. 81. 1785.

Hi namque vsui diligenter accommodati, vt qui correcti dicuntur, ignis actione accedente non interrupte, vt pleraque machinamenta alias ad aerem mutandum probata, sed perpetuo interiorem aerem sensim depellunt, ac nouum purumque continue intromittunt. Hinc in valetudinariis, in nauibus, in carceribus, aliisque locis, vbi expedit aeris renouationem continue promouere, magni vsus habentur.

86. Praeter aeris in cubiculo admissionem, qua interior ad pristinam integritatem restituitur, aut in eius locum nouus, purusque intromittitur, alia etiam proponuntur subsidia, quibus aegri, et assidentium emanationibus onustus, aliisque modis corruptus aer corrigatur. Sunt eiusmodi varia suffitus genera, aceti ignitis lapidibus, aut candentibus ferramentis insperſum, et virentes stirpes, vel earum rami aquae haerentes in aegri cubiculo collocati.

87. Verum circa haec nonnulla animaduersione digna videntur. Nam ad suffimenta quod attinet, falsum est ea respirationi aptiorem aerem reddere. Nuper siquidem reperit Achardius suffimigia ex iuniperi baccis, ex storace, myrrha, benzoe, thure, mastiche, succino, caryophyllis, aliisque non paucis siue resinis, siue plantarum foliis, floribus, corticibus, et lignis petita, aliquid semper phlogisti cum aere communicare, et copiosius etiam phlogiston euoluere, quando flammam concipiunt, et ardent. Quamobrem statui posse videtur, aeris correctionem a suffitibus petendam non esse, licet vltro idem auctor concedat eorum vi nunquam aerem adeo corrumpi, vt periculum, aut mortem afferat. Si nihilominus quisquam a suffitibus nolit abstinere, raro saltem eisdem vtatur; ea corpora recipiat, quae capiti vehementi odore, et halitu non officiant; ac resinas speciatim adhibeat, quae prae reliquis solidis rebus ad domicilia suffienda vsitatis minus phlogisti suppeditant.

88. At

88. At acetum in vapores resolutum ipsis etiam resinis, reliquisque corporibus siue solidis, siue fluidis, quae ad suffimenta recepit ACHARDIUS, minus phlogisti aeri tribuit. Copiose enim phlogiston tunc solum euoluit cum super candens ferrum effunditur. Non est proinde, cur quisquam eius vsum formidet, maxime quod omnium gentium consensione iamdiu euictum sit ad putridum virus corrigendum, atque ad huius effectus remouendos plurimum valere. Nec forma tantum vaporis eodem vti licet; sed saepe iuuat eodem aegri conclaue leuiter inspergere, subinde etiam ipsius aliquid in vasa demittere, quae id, quod egeritur e cibo, potuque excipiunt. Quocumque tamen modo acetum vsurpetur, nihil eo fere praestantius, et tutius est ad aerem emendandum, qui e pulmonum, et cutis halitibus, ex vrina putrescente, ab excrementis eorum in cubiculo retentis, qui immodicis, et colliquatiuis alui fluxibus, aut putridis, malignisque febribus laborant, atque ex dissoluto sanguine, ex sputis pessimae notae, foetidisque vlceribus, et gangraenis atque ex alia quacumque animali mephiti, et peste noxius, pernicioſus, ac facile lethalis euasit.

89. Eodem modo adhibitum acetum inseruit etiam ad graues, qui prope aegrum percipiuntur, odores quodammodo inuertendos, et emendandos, praesertim cum aceti halitus neque aegro, neque ei ministrantibus generatim officiat, secus ac quaedam odora, et valde fragantia corpora, quae, licet ad inuisum, et tetrum remouendum odorem interdum vsurpentur, quibusdam ingrata sunt, et non parum aliena; vtpote quae caput tentant, aliasque suscitant commotiones, quae cordis, neruorumque vires subito imminuant summo aegri iam imbecilli, et languidi detrimento. Ob quam causam interdum obseruaui ipsum acetum cum fragantibus, et odoratissimis stirpibus in patina supra prunas exhalans quibusdam aegris offecisse, qui

solos

solos aceti vapores optime ferebant. Quare vbi oporteat aceto ipsum quoque cubile, aut aegri tunicas, et indumenta, prout quandoque vtiliter fit, inspergere, tutius videtur eodem puro vti, quam aquis stillatitiis odoris admixto, vt est in remedio antimephitico Cl. Ianinii, quod sex partes habet aceti, et vnam spiritus lauendulae, vel in alio quouis aceto, quod ob simile additamentum compositum dicitur, et medicatius censetur.

90. De vsu demum virentium plantarum, ramorumque viridium in aqua mersorum ad cubiculi, in quo aeger versatur, aerem lustrandum, eorum opinioni subscribere non licet, qui eum quouis in casu tantam vtilitatem afferre existimant. Quamquam enim plerique nuper tradiderint vegetabilia, donec viresçunt, singulari facultate pollere circumfusum aerem ideo purum, et saluberrimum efficiendi quia, vitalis aeris copiam ei faciunt; attamen neque omnes vegetabilium partes, neque in quouis casu tam insigne commodum afferunt. Nam et folia solummodo vitalem aerem effundunt, et tunc dumtaxat suppeditant, quando solis, aut lucis actioni manent exposita, vt Ill. et Cel. Inghenhouzius paucis abhinc annis obseruauit. Noctu vero et in vmbra eadem folia sin minus noxium aeris genus exhalare, quod dici nequit, purissimum illum aerem non demittere ipse etiam Ill. et Cel. Senebierius inuenit. Quamobrem et nocturnis horis, et iis in casibus, in quibus vel ob summam cubantis imbecillitatem, vel ob morbi naturam oporteat eum in vmbra, aut in tenebris continere, vegetabilium foliis licet viridibus in cubiculo detentis aeri, qui aegro effunditur, vitium adimere, et puritatem, aliasque salubritatis dotes conciliare perperam nonnulli medicorum sibi adhuc pollicentur.

91. Neque in minori fortasse errore versantur, qui ad vitiatum aerem absorbendum, atque ad purum,

et

et vitalem largiendum perutile iudicant flores cuiusque generis in aegri cubiculo locare, atque substernere, ipsumque interdum cubile eisdem spargere. Neutrum enim flores unquam efficiunt siue parum odori sint, siue valde fragrantes, quin imo, plurima etsi luce perfusi, noxium aerem emittunt, ac praesertim quando exsiccantur, et computrescunt. Atque inde intelligitur cur interdum acciderit, vt *Violae odoratae*, et *Rosae centifoliae* *), aliarumque stirpium flores suauissime caetero fragrantes in dormitorio cubiculo, praesertim arctiori, copiose aggesti, atque inclusi grauia mala, vitae discrimen, mortemque attulerint: ob mephitim nempe, quam spirant, ac sub gratissima odoris specie late diffundunt.

92. Sed modo propositis praesidiis ad puritatem aeri impertiendam vnum etiam addunt plerique, quod caeteris longe tutius, et aegrorum rationibus vtilius existimant. Credunt scilicet summam opem aerem illum, cuius iam memini, vitalem, seu oxygenium esse allaturum, vbi e nitro, salibus, calcibus metallorum, aliisque corporibus, ac maxime e magnesio euolutus in aegri cubiculum admittatur, vel ab aegro proxime inspiretur, machina adhibita, quam in hunc finem Cel. Inghenhouzius inuexit. Hoc enim machinamento aer vitalis pari semper modo, et copia continue attrahitur, dum interea qui subinde e pulmonibus inter expirandum erumpit ab aqua calcis, quam proximum vas continet, facile absorbetur.

93. Profecto cum credam aerem, quo ambimur, ex eo tantum respirationi inseruire quod vitalem contineat, hunc ipsum in aegri cubiculum subinde intromittere ipse etiam vtilissimum conseo in illius locum, qui

*) Ad stirpis cuiusque genus, et speciem designandam nominibus semper vtar, quae Linnaeus probauit.

qui continue in pulmonibus partim in aquam, partim in aerem fixum resolui videtur. Verum raro licet hoc auxilii genere aerem, quem aeger infecit, atque corrupit, integrum, ac salubrem interum reddere. Aegri namque, cum generatim ignorent quid nouum hocce praesidium queat praestare, ipsum facile despiciunt. Neque etiam commodum semper est ob angustam aegri rem idem auxilium, etsi leui sumptu parabile, experiri. Eius proinde loco vasa aqua calcis, quae recens sit, ac saepius renouetur, repleta in cubiculo vtiliter poterunt detineri. Ad aerem enim corrigendum aut salubrem conseruandum eiusmodi aqua sic adhibita magni vsus erit ob fixum aerem secum abreptum atque absorbtum, qui forte in aere cubiculo incluso haeret, vel e pulmonibus assidue dimanat, vel ab excitato fortasse igne procedit.

94. A vitali autem, purissimoque aere proxime inspirato aegros quoscumque acuta aegritudine detentos non parum recreari, atque eos magnum emolumentum percipere, quorum morbus pulmonibus inhaeret, vel speciatim istos afficit, vel respirationem maxime laedit, sunt profecto non pauci medicorum, qui pro certo habeant, et aliis etium fidenter suadeant. Verum accuratioribus periculis, obseruationibusque tum ab aliis clinicis, tum a me ipso institutis iam euictum videtur, nouam hanc medendi rationem pneumonicis, pleuriticis, atque iis generatim aegris euidenter nocere, qui ob morbi caussam, naturam, et magnitudinem, caloris, motus, virium que excessu laborant. Vitalis siquidem aer purus, et integer pulmonibus proxime applicitus partim stimulo suo, partim noua materie caloris sanguini affusa, vt Ill. et Cel. Fourcroeus rectissime obseruat *), cum bronchia irritet, spiritum acceleret, aestum augeat, et cordis, arteria-

*) Fourcroy Annal. de Chimie. Tom. IV. pag. 83.

arteriarumque motus ſollicitet, non poterit, etſi primum adhibitus leuamen afferre videatur, non eas exaſperare aegritudines, quae illud ab artifice mutationis genus neceſſario requirunt, quod calorem, et motum imminuat.

95. Si itaque in omnibus morbis inflammatoriis, ac ſpeciatim pectoris, atque in acutis generatim paſſionibus, in quibus ob morboſum virium vitalium incrementum calor, et motus excedunt, alienus eſt, et nocuus vitalis aer in pulmones proxime receptus, quinam erit huic therapiae locus in humani corporis morbis ſanandis? Qui vſus remedii, quod, eius caeterum actione ſpectata, euidentes edit effectus, et pulmonum, ac cordis motus non parum intendit? Non vtique in phthiſi ſiue tuberculari, ſiue vlceroſa, quoniam eam, vt bis obſeruaui, pluries autem vidit Forcroeus *), inflammationis ſymptomatis accerſitis non parum exaſperat. Non in aſthmate, affinibusque affectibus a ſpaſmo, et conuulſione profectis, cum eiusmodi medendi methodum tribus aegris officere viderim, etſi initio ſalutis ſpem feciſſet. Non in chronicis denique morbis, quos febris, praeſertim non leuis, comitatur, quam vel per ſe vitalis aer accerſit.

96. Quibus igitur in morbis vitalis aer inſpiratus auxilio erit, ſi in iis, quibus mirifice opitulari traditur, vel alienus, vel nocuus exiſtit? Praeſens auxilium affert quando ad vitae munia hominem reuocare oportet, quem mephitis oppreſſit; iis euidenter ſubuenit, prout ſemel, et iterum obſeruaui, qui ob laxos pulmones, et ſeroſa, mucidaque colluuie infarctos, anhelitu, et aſthmate detinentur; atque iis generatim opem praeſtat, vt Forcroeus nuperrime tradidit **), qui ſcrophulis, chloroſi, obſtructionibus imi ventris,

*) Op., et loc. cit.
**) Loc. cit.

rachitide incipiente, passione hypochondriaca, et spiritus difficultate cum virium languore coniuncta laborant.

97. Quibuscumque tamen rationibus prudens artifex studeat noxium aerem, in quo aeger versatur, emendare, illa nunquam negligat quae eius puritatem, integritatemque tuentur, atque vna impediunt, ne idem aer, aut ipsum aegri corpus, vel nimium, vel intempestiue incalescat. Inter illa curet imprimis, ne excrementa in cubiculo maneant; ne subuculae, indusia, tunicae, aut lintea sudoribus madida, vel alia quauis sorde olida in eo seruentur; ne stragulis superimpositae sint vestes, plerumque vel sordidatae, vel non satis mundae, quibus aeger ante morbi invasionem sanus adhuc vtebatur; ne in eodem cubiculo multi admittantur siue propinqui, et amici, siue domestici, et aegro ministrantes; neue lucernae, aut candelae, quarum actione vitalis aer absumitur, atque inficitur, vel plures, vel prope aegrum ardeant, aut, cum extinguuntur, tetrum odorem spargant.

98. Sedulo etiam medicus curet, vt aeger in amplo, lucidoque conclaui degat; vt cubili semper vtatur puluinaria ex crinibus et paleis habente, ac lato, vnde minori aestu corripiatur, vel eodem, atque irrequie, anxietateque correptus positum queat mutare, ac subfrigidum locum inuenire; vt neque vestibus, aut laneis pannis, sed linea pura, et tenui subucula obtectus, linteis dein, stragulisque cooperiatur nec iusto leuioribus ne frigeat, nec grauioribus ne excandescat, anxius fiat, ac veluti praefocari videatur; vt denique solus, neque unquam cum alio siue sano, siue infirmo homine, in lecto decumbat.

99. Cum autem iubeo aegrum, quocumque correptus sit morbo, solum in cubili esse collocandum, id praecipio non modo, vt aestum, et irrequiem vitet, quam vt omnem ex vesticontubernio futuram noxam

xam declinet. Non potest enim periculi plenum non esse, ac saepe valde nocuum duos aegros, aut sanum cum aegro, acuto praesertim morbo detento, in eodem lecto cubare, vt olim in valetudinariis prauus, ac saepe funestus vsus ferebat, cum vix tutum, et innoxium sit, dum viget sanitas, condormire. Id profecto, quod etiam ex sano erumpit sub aurae, aut halitus, aut vaporis specie, maximeque ex pulmone, et cute exhalat excretioni dicatum, impurum, foedum, corruptum, ac mephiticum ab homine prope cubanti per pulmones, et bibula cutis vascula absorbtum, nisi ei noceat, profuturum nunquam videtur.

100. Illa proinde omnia, quae vel incognitus auctor eleganter potius, quam vere in medium recens protulit ad vtilitatem humani afflatus, et vesticontubernii euincendam, solum possunt ostendere, homines bene valentes mutuam halituum communicationem impune ferre, ac senes, graciles, et exhaustos ideo cum florente puero, aut virgine discumbentes interdum refici, quod partim calore iuuentur, partim ob inductam pulmonibus debilitatem impares puro trahendo aeri, crassum, inertem, aut minus viuidum, quam vitalis est, melius inspirent. Accidit siquidem istis, quod interdum obseruarunt clinici in pneumonicis, et tabidis, qui, cum aerem purissimum ob haerens in pulmonibus vitium sustinere nequirent, in stabulis, ouilibus, bubilibusque facile spiritum ducerent: quia hisce locis, qui haeret, aer ob minorem vitalis, aut oxygenii copiam, quam continet, pulmones minus irritat, et excitat.

101. Ad nimium vero aeris calorem prohibendum, et corruptionem arcendam, magnopere iuuat aegrum in lecto aliquantisper considere, interdum ex vno in alterum quam proximum probe refectum, et calfactum transire, interdum etiam semel, vel bis die eodem consurgere, atque apta in sede quotidie aliquid

temporis multa veſte munitum tranſigere. In pleriſque enim inflammatoriis, febrilibus, exanthematicis, et epidemicis morbis aegros non parum recreatos, et citius ſanitati reſtitutos fuiſſe hoc praeſidii genere iuxta virium rationem prudentiſſime vſurpato clinicorum obſeruata teſtantur. Hinc niſi morbi indoles, proximum eius incrementum, et vigor, ſummus virium languor, vtiles, et critici ſudores vel inſtantes, vel praeſentes, aliaque iubeant lecto adfixos, et iacentes aegros eſſe detinendos, artificis erit iſtud quoque auxilium eisdem afferre. Praeſertim qui ſciat hac ratione quarundam aegritudinum curationem adiuuari, et quaedam mala, vt HAENIUS monet *), facile averti, nempe virium debilitatem, quae a decubitu oritur, inſomnia, et deliria, intempeſtiuos, profuſos, et conliquatiuos ſudores, corporis excoriationes, et miliarium, peticularum, aliorumque exanthematum exitum, ne dicam vigiliam blando conciliato ſomno diſcuti, et quorundam remediorum effectus maiores, certioresque fieri.

102. Nec ſolum praeſtat, vt aegri generatim, ſi cubiculi aer tepeat, et vernet, e lecto quotidie eximantur; ſed qui morbis quibusdam acutis, quos clinici ſpeciatim indicant, detinentur, quandoque melius ſe habent ſi interdiu non exiguum temporis ſpatium extra lectum traducant. Hac quippe ratione minorem laſſitudinem ſentiunt, lenius laborant, ocyus convaleſcunt, viresque citius recuperant. Ad id tamen oportet, vt ipſo iam aegrotationis initio lecto aſſidue adfixi, iacentesque aegri nunquam maneant. Secus enim neque poſſunt aſſurgere, neque tamdiu extra lectum conſidere quantum morbus requirit. Igitur ſi hoc quoque praeſidii genus aegro vtilitatem promittat, ipſum quam mature quisque amplectatur.

103. Ae-

*) Rat. Medendi. V. 1. c. III.

103. Aeris denique puritati, et ſalubritati mirifice proſpicit corporis mundities, quae probe exculta quam plurimas vtilitates bene valentibus, et infirmis affert. Affert ſiquidem ea commoda, quae a cutis exhalatione, quam ipſa tuetur, et promouet, iuxta ordinem naturae ſeruata promanant, atque ea ſimul mala auertit, quae ab eadem excretione retenta facile accidunt. Ei proinde quicumque diligenter ſtudeat frequenti corporis lotione, ac maxime partium, quae ob vberiores, magis olidas, et corruptas e cute erumpentes particulas, atque ob artis, quae forte exercetur, genus, plus inquinantur, ſubucula quotidie, aut ſaltem quo crebrius fieri poteſt, mutata, veſtibusque ſordidatis abiectis, aut ab omni labe abſterſis.

104. Munditiem praeterea ſtudioſius adhuc diligat qui morbo quocumque, ac maxime acuto detinetur. Etenim ipſa quaedam mala auertit, quaedam diſcutit, ac generatim cuiusque morbi fauſtum, ac promptiorem exitum adiuuat. Nitidiſſima ergo circa aegrum ſint omnia, conclaue, ſolum, cubile, lintea, ſtragula, induſia, atque ipſum mundum ſit aegri corpus, a quo ſane quouis tempore expedit ſordes abſtergere, dummodo id prudenter perficiatur. Res item lintearia, quoties immunda appareat, toties, niſi vel criticus ſudor, vel ſalutaris e cute expulſio immineat, aut praeſto ſit, mutanda eſt, et calidis ſiccis, ac nitidis linteis, etſi recens lotis, protinus reficienda. Quod enim periculi, aut damni a linteorum renouatione in morbis ex lixiuio ad ea abſtergenda adhibito quidam adhuc metuunt, id nullis fundamentis innititur. Satis nihilominus erit ad omnem, ſi quam forte vel aeger, vel artifex metuat, noxam vitandam, illa prius calefacere antequam vſurpentur.

105. Praecipua haec ſunt, quae de recto aeris vſu in ſecunda valetudine, atque in acutis humani corporis affectibus animaduerti perpetuo debent, neque

negligi magnam partem possunt in caeteris morbis lentis, et chronicis, quin eorum natura exasperetur, ac curatio peruertatur. Hi namque recto aeris vsu mitiores quoque fiunt, atque interdum vel arcentur, vel sine vllo alio remedio discutiuntur. Non rarum quippe est sola coeli mutatione neruorum passiones, febres intermittentes diutinas, et pertinaciores, maximeque quartanam, affectionem hypochondriacam, tabem pulmonum, arthritica mala, atque alios morbos sanari, quos Ill. et Cel. GREGORY speciatim recenset *).

106. Qui vero in longis, chronicisque passionibus aer conueniat, ob multiplices earum differentias neque paucis potest constitui, neque id tradere ad eos pertinet, qui therapeuticen generatim exponunt. Satis proinde erit hic loci monuisse in morbis non acutis purum, et temperatum aerem ita expedire, vt in iis, qui a solidarum partium laxitate, et debilitate, humorumque nimio motu, aestu, acrimonia, tenuitate, ac quapiam solutione deriuantur subfrigidus sit, modice vero calidus in reliquis, qui a rigiditate, strictura, inertia, torpore, et cutis emanatione imminuta, aut retenta, nimioque frigore originem ducere censentur.

107. Tandem in aeris vsu non minori sanis, et aegris animaduersione indigent qui e morbo conualescunt. Ob superstitem enim imbecillitatem, ob perspirationem ad sanitatis leges aut nondum, aut vix reuocatam, atque ob maiorem fibrarum mobilitatem aer eos valde afficit, ac plerumque aegrotantibus ipsis grauius laedit. Ergo conualescentes quamcumque aeris, siue humidi, siue calidi, siue frigidi intemperiem diligenter vitent; in cubiculo continue inclusi nunquam maneant, imo e dormitorio conclaui in proximum transeant, vt purum aerem inspirent; non subito

*) Differt. De morb. coel. mut. med.

bito aſt paullatim exteriori, licet puro, et ſalubri, aſſueſcant, praeſertim ſi non leuis imbecillitas ſupereſt; atque iis tantum horis egrediantur, in quibus aer nec friget, nec aeſtuat, ſed tepet, et vernat. Sub diuo etiam immobiles ne conſiſtant, et nocturnum aerem, multa, et idonea licet veſte muniantur, perpetuo fugiant, quem inter potiores, crebrioresque recidiuae cauſſas cum Ill. et Cel. Tissoto Clinici annumerant. Coelum denique mutent, ruſticentur, atque aeſtate ineunte ſubfrigidum, et ſubhumidum aerem, prima vero hyeme calidum, et ſiccum petant: quae vtique aeris vtendi rationes firmis etiam, et bene valentibus conferunt.

CAPUT III.

De alimentis generatim.

108.

Poſt rectum aeris vſum cum nihil ſanis, et aegris magis conferat appoſita cibi, potusque ratione, quae ſanitatem conſeruat, et morbos vel diſcutit, vel mitigat, ad ea modo veniam praecepta, quae ad alimenta, ſiue tamquam ſanitatis praeſidia, ſiue vt morborum auxilia pertinent. Sed antequam dicam quemadmodum ſanis, quemadmodum aegris in vſu alimentorum agendum ſit; non alienum videtur quaedam proponere, quae ad vniuerſa eorum genera referuntur. Alimenta igitur ea corpora appellantur, quae ſiue cibum, ſiue potum praeſtent, in humanum corpus immiſſa hoc reparant, atque reficiunt nouis particulis ſuffectis in earum loco, quae e ſolidis, fluidisque partibus continue abſumuntur, et defluunt, quaeque conſuetarum excretionum miniſterio e corpore

assidue secedunt. Noua proinde, ordinata, constantique partium appositione, quae minima spatia in solidis a consumptarum particularum abrasione relicta repleat, quaeque humorum, qui in circuitum aguntur, massam augeat, alimenta amissas reparant partes, secretionibus materiem suppeditant, humores a corruptione arcent, vires sustinent, ac maiores efficiunt, aliaque maxima commoda praestant, quae salutem conseruent, ac longaeuitatem afferant.

109. Cum igitur natura homini necessariam fecerit nutritionem, quae assiduo partium dispendio subueniret, earumque incremento prospiceret, necessariam quoque eidem reddidit earum rerum assumptionem, in quibus alibilis materia continetur. Voluit scilicet natura, vt ex iis corporibus assumptis, quae alendi habent facultatem, ob vna conspirantes masticationis, deglutitionis, et digestionis potentias discerptis, diuisis, confectis, opportunamque tenuitatem nactis, succorumque, qui ventriculo, et duodeno intestino haerent, efficacia resolutis, et immutatis, nutritia materies educeretur, quae abiens in chylum, et in sanguinem traducta, cum circulationis vires aliquamdiu passa fuisset, et aptas mutationes, non satis adhuc compertas, esset consequuta nutritionem praestaret.

110. Hinc sequitur corpora, quae alibilem succum continent, nutritioni inseruire neutiquam posse, nisi opportuna praeparatione, antequam assumantur, fluida euaserint; vel ingesta a viribus digestionis aut in integrum, aut tantum saltem resoluantur, quantum sufficit, vt suam nutritiam materiem a cuiusque partis non alibilis compedibus, quibus antea nectebatur, liberam demittant, atque adeo solutam, vt eam villi queant exsugere, atque in sanguinem traducere. Neque ingesta eiusmodi esse debent quia lactea, et lymphatica quaecumque vasa nihil admittunt nisi perfecte

recte solubile, vt Ill. Zükertius observat *). Nam alimenta ex eo etiam, vt nutritia eorum materies, sicuti recte addit vir summus Cullenius **), rite distribui, et partibus, quae instaurandae sunt, apposite queat admoueri, fluida semper indigent forma, quam profecto, vbi non habeant, a viribus corporis generatim accipiunt. Sunt enim nonnulla, quae ob nimis tenacem, et duram fibrarum, aliarumque partium texturam, etsi alibili succo non careant, neque a viribus corporis fluidam possunt formam adipisci; vt ea, quae soluenti gastrici succi potentiae resistunt.

111. Ob eiusmodi autem caussam, atque ob alias etiam, quas modo iuvat indicare, alimenta, quibus vtimur, ac speciatim esculenta a diaetetices scriptoribus diuidi generatim solent, proque vario eorum discrimine diuersis nominibus designari. Porro si facile, et prompte ab humoribus digestioni famulantibus resoluantur, et concoquantur eupepta dicuntur, vt tenera, mollia, et succo plena; secus dyspepta, vt exsucca, fibrosa, rigida, et dura; si nutritiis partibus valde abundent polychyla appellantur, aut contra ob earum inopiam oligochyla; si denique puram, rite elaboratam, nec alienis particulis admixtam nutritiam materiem ad chylum conficiendum tribuant, hicque optimus euadat, euchyma, dum illa, quae contraria ratione se habent, cacochyma vocantur.

112. Verum hae distinctiones a nonnullis hodie negliguntur, nec quidem, vt mihi videtur, immerito, cum non paucis exceptionibus obnoxiae sint ob singulares quasdam in hominibus proprietates, quae maxime in ventriculi actione, et ciborum digestione se produnt. Ex hisce quippe euenit, vt quae esculenta

*) De Re alimentaria n. 15.

**) Mat. med. V. 1.

lenta in vno aegre, et partim ſolummodo digeruntur, in altero commode, penitusque ſoluantur; vt quae in illo omnem demittunt nutrientem materiem, eamque in chylum vertunt, in hoc parum alimenti, atque in chylum non facile mutabilis erogent; vt quae demum in vno partes etiam non alibiles, quas habent, eas omnes chylo admiſcent, in altero, alienis hiſce particulis propere a nutrientibus ſeiunctis, atque ad inferiora propulſis, vel ipſo digeſtionis opere prorſus immutatis, in ſalutarem chylum conuertantur.

113. Satis idcirco videtur alimenta in eſculenta, et poculenta ſeiungere, ac rurſus in animalia, et vegetabilia diſtinguere. E foſſilibus quippe, ſi aquam excipimus, nullum deſumitur corpus, quod ſit aptum nutritioni. Sed neque omnia animalia, neque omnia vegetabilia humani corporis reparationi queunt inſeruire, etſi alibili materie non careant, qua perpetuo et ipſa indigent, vt nutriantur, ac naturale incrementum ſuſcipiant. Non ſufficit ſiquidem ad nutriendum, vt ingeſta alibiles particulas contineant, ſed praeterea oportet, vt eas habeant ſolubiles, atque ob ſpontaneum motum, aut ob ſtomachi, et totius corporis vires, ea ratione mutabiles, qua fluidis ſolidisque partibus, quibus homo coaleſcit, perfecte poſſint aſſimilari. Hinc in ipſis etiam vſitatis eſculentis animalis indolis quaedam exiſtunt particulae, quae nullum alimentum afferunt; itemque non pauca vegetabilia, aut eorum partes ad hominem nutriendum non valent: cuiusmodi a Lorryo ſpeciatim habentur *) ob adductas cauſſas, atque ob alias etiam a ſingulari fabrica, et natura profectas illa generatim vegetabilia, quae valde acri ſapore nulla dulcedine contemperato donantur, ac maxime quae odore vehementi gaudent, quaeque

*) Op. cit. T. I. P. 1. c. 1.

que nutritioni alienas particulas, et qualitates habent eiusmodi, quas vires corporis nequeant immutare.

114. Num vero indole ſpectata alibilis materiae, quam nutrientia corpora vehunt, et ſanguini largiuntur, noua rurſus alimentorum genera ſint conſtituenda, quaerunt inter ſe Diaetetici. Qui enim animaduertunt fluidas humani corporis partes a ſolidis non parum differre, putant in alimentis duplex materiae genus eſſa admittendum, quorum vnum fluidas reparet, alterum ſolidas refarciat; dum alii harum partium diſcrimina ab aliis potius cauſſis quam a diuerſa nutritii ſucci, et conſtituentium particularum origine, et natura deriuantes negant duplex eiusmodi alimentorum genus tuto poſſe conſtitui. Nec deſunt, qui cum conſiderent humorum diſſimilitudines, qui in ſecretionibus impenduntur, velint eos a ſingularis indolis alimentis eſſe repetendos, vnde noua eorum genera debeant admitti. Porro in hiſce diaeteticorum concertationibus quamquam nihil certi ſtatui poſſit, cum nutritionis, et ſecretionis opus tenebris adhuc obſideatur, veroſimillimum tamen mihi videtur cum Lorryo arbitrari, vnum, idemque genus alimenti, ſiue ab animalibus, ſiue a vegetabilibus deſumptum, ita vel ab ipſis, e quibus promitur, corporibus, vel a ſuccis ſtomacho, et duodeno contentis, vel ab actione ſanguineorum vaſorum, et viſcerum, vel ab organis ſecretionum diuidi, attenuari, atque iterum compingi, inuicem admiſceri, tamque diuerſis rationibus immutari, vt origine, et natura diſſimile videatur.

115. Licet itaque coniectari vnum, idemque genus nutritiae materiae par eſſe tum fluidis tum ſolidis humani corporis partibus reparandis, praeſertim cum illa, quae contra hanc opinionem a quibusdam afferuntur, eam ſane non euertant. Nam quod tradunt nonnulli animalibus alimentis, quibus veſcimur ſuccum ineſſe nutritium ſuis qualitatibus ad materiem, qua

ſolidae

solidae, fluidaeque nostri corporis partes componuntur, tam proxime accedentem, vt ipsa alimenta solutione tantum egeant, vt absorbta, et in sanguinem delata nutritionem perficiant; id non excludit in vegetabilibus quoque materiem reperiri, quae in solidas, et fluidas partes, quibus conflamur, possit conuerti. Quod vero addunt alii reapse in animalibus alimentis glutinosum illud, quo potissimum solida reparari Physiologi arbitrantur, praesto esse, contra vero in vegetabilibus desiderari, id sane non magis probat allatae opinionis falsitatem. Nam hoc probat solummodo, etiam si admittatur, gluten istud solidis resarciendis impendi, in alimentis ex animali regno desumptis eiusmodi gelatinosam materiem iam corporis viribus elaboratam deliteſcere; non autem ostendit, vegetabilia esculenta huius generis alimentum non suppeditare, quod stomachi, intestinorum, et circulationis actione nequeat in gluten quoque conuerti: quemadmodum reuera immutari ea animalia satis ostendunt, quae, licet solis vegetabilibus victitent, glutinosum illud in vasis elaboratum, humoribusque admixtum, ac solidis maxime partibus inhaerens patefaciunt eodem modo, ac in iis existit, quae animalibus aliis magna ex parte vescuntur.

116. Sed haec praeterea materies glutinosa ita propria non est animalibus, vt in quibusdam etiam non reperiatur vegetabilibus. Cuique enim compertum est post vtilissima experimenta, quae vir summus Beccarius suscepit, aliique eodem euentu iterarunt, in *Tritico* siue *hyberno*, siue *aestivo*, praeter amylaceam vegetabilis indolis materiem ad acescendum pronam, inesse aliam glutinosam, aqua separabilem, facile putrescentem, quae distillationi submissa alcali volatile, et oleum empyreumaticum praebet, atque animalem naturam notis omnibus patefacit. Neque ex solis huius cerealis stirpis seminibus, ac farina erui potest

est haec glutinosa materies. Etsi enim chemicis omnibus, qui hoc principium ex cerealibus aliis educere tentarunt, res votis non cesserit, nec mihi Beccarii, et Margraafii pericula aliis de caussis olim repetenti pariter cesserit; potuit tamen illud paucis ab hinc annis elicere Cl. Marabellius e *Zea mays*, seu frumento turcico *). E succo enim, quem ex eius seminibus adhuc immaturis, et lactescentibus expresserat, sibi relicto, post amylaceam materiem, vi fermentationis elicuit alteram densam, in aqua neutiquam solubilem, glutinosam, putrescentem, in igne instar animalium rerum foetidam, atque ope distillationis eadem principia praebentem, quae ex aliis animalium naturis trahi solent. Quam quidem glutinosam materiem etiam ex farina Zeae obtinuit, et longe maiori copia, quam ex immaturis seminibus, aut e triticea farina educatur; hoc tamen discrimine quod e farina educta ea nota elasticitatis carebat, qua triticeum gluten pollet, et minus elaborata in animalem indolem videbatur eadem materie, quae siue e lactescentibus Zeae seminibus, siue e Tritici farina obtinetur.

117. Quid quod Ill. et Cel. Bertholetus **) in variis vegetabilium partibus cum *azotim*, seu basim ammoniaci, et acidi nitrici, (a qua in animalibus corporibus copiose haerente, et ammoniacum, quod ignis actione animalia suppeditant, et corruptionem, quam eorum partes facile concipiunt, idem auctor deducit), aliquot ab hinc annis deprehenderit, materiem quoque in eisdem vegetabilibus glutinosam inuenit? Ex omnibus siquidem vegetabilibus, in quibus praeter *carbonium* et *hydroginium*, vtrumque vegetabilibus commune, azotim detexit, cum faecula, et seminibus

*) Biblioteca d'Europa T. VI.

**) Annal. de Chimie Tom. III. Mem. de Mr. Fourcroy.

nibus corneis gluten eduxit, ita vt videatur, etiam ſpectata alibilis materiae natura, animalia, et vegetabilia propius inter ſe conuenire, quam alias ob experimentorum, et obſeruationum defectum iudicaretur.

118. Sed neque illud, quod ab aliis in medium poterat afferri ad demonſtrandum eſculenta animalia a vegetabilibus, quoad materiem nutritiam, plane, et omnino differre, ac duo proinde diſtincta alimentorum genera conſtituere, nempe animalibus albumen ineſſe, quo carent vegetabilia, ſtatutam opinionem plerisque iam diaeteticis probatam euertit. Nuperrime ſiquidem vir Ill. et Cel. FORCROEUS, a quo plura noua penitus, et valde vtilia ad chemiam tum phyſicam, cum medicam ſpectantia accepimus, albuminoſum humorem inuenit in omnibus vegetabilibus adhuc viridibus, et acido ſpoliatis, eduxitque iis proprietatibus donatum, quae albumen a caeteris humani corporis liquoribus prorſus diſtinguunt *). Obſeruauit enim vegetabile albumen denſum, ac plerumque ſpiſſum, inſipidum, atque in frigida aqua ſolubile vi ignis concreſcere, ab alcalicis ſalibus, ac maxime ab ammoniaco diſſolui, calore ebullientis aquae e liquoribus omnibus, in quibus ſolutum ſit, ſeparari, et demum, quin acorem concipiat, putreſcere.

119. Quae quidem modo propoſita cum oſtendant, duo illa ad alendum maxime opportuna, quae animalium tantum partibus propria credebantur, in ipſis etiam praeſto eſſe vegetabilibus, non eſt profecto cur inter alimenta vegetabilia, et animalia abſolutum diſcrimen conſtituatur. Praeſertim vero cum reliquae etiam partes alimento aptae, quae in vegetabilibus inſunt ſummopere cum iis conueniant alimentariis particulis, quae in animalibus occurrunt. Etenim praeter ea, quae de glutine, et de albumine modo proponebam,

*) Op. cit.

ponebam, summam analogiam intercedere apposite anim-
aduertit cum chemicis, et physiologis praestantiori-
bus Ill. Forcroeus inter olea vegetabilia, et adipem,
aut oleum animale, inter emulsiones, et lac, inter in-
sipidos viscosos succos, quos mucilagines dicunt, et
concreta animalia, quae gelatinas appellant, atque in-
ter saccharum e vegetabilibus eductum, atque illud,
quod ex lacte paratur.

120. Cum autem viuum, et perfectum animal,
vel vna vbi victitet esculentorum specie, quae simpli-
cissima videatur, fluidas, et solidas partes aeque repa-
ret, atque in istis eadem principia, et qualitates exhi-
beat, quae spectantur in solidis, et fluidis reliquorum
animalium, quae animali tantum cibo vescuntur, aut
animalibus, et vegetabilibus promiscue viuunt; dicen-
dum est in quouis nutriente vegetabili materiem deli-
tescere ita elaboratam, vt ingesta in eas resoluatur se-
cedatque particulas, quae singularum partium repara-
tioni prospiciant. Quod si id non arrideat, saltem
licet affirmare, quod probabilius videtur, in eo vege-
tabili nutritiam materiem eiusmodi esse, quae ex ani-
mantis viribus iis omnibus subeundis mutationibus ido-
nea sit, quibus apta ad quascumque partes reparandas
euadat. Siue vnum porro, siue alterum amplecta-
mur, verosimile semper est, idem materiae genus di-
uersimode immutatum solidis aeque, ac fluidis effor-
mandis, nutriendisque inseruire, quin admittamus in
alimentis omnibus, aut in quauis eorum specie tot ali-
biles succos inter se genere distinctos, quot sunt in hu-
mano corpore dissimiles partes, quae nutritione in-
digent.

121. Haec autem cum innuant vegetabilibus ali-
mentum inesse, quod solidas aeque ac fluidas partes,
in quas conuertitur, opportune, et plene resarciat, ve-
rosimillimum quoque reddunt animalem omnem nu-
tritiam materiam ab ipsis vegetabilibus proficisci. Sed

quomodo haec materies vegetabilis originis in animalem conuertatur, certo definire, atque vna absolute determinare quid sit illud, quod proprie hominem alit, aut rationem certam, et perspicuam assequi, qua alimentum ipsum in totidem abeat partes, quot in humano corpore qualitatibus, et vsibus dissimiles existunt; id sane non solum ab intelligentia imperitorum, sed a sensu etiam sapientum disiunctum est: quemadmodum vel ipse, qui summo, et peracri pollebat ingenio, CULLENIUS candide fassus est more magnorum virorum, qui veritatem sine ambitione scrutantur *).

122. Etsi vero horum problematum solutio hactenus desideretur, nonnulla tamen, vanis etiam hypothesibus reiectis, ad ea spectantia proferri possunt, quae, cum partim certa sint, partim vero similia implicatissimis, obscurisque illis quaestionibus lucem aliquam affundunt. Itaque tamquam certum haberi potest, alimentum vi masticationis, et saliuae opportune diuisum, confectum, et maceratum stomacho excipi, exceptumque molliri, disiungi, et rite dissolui; eiusmodi disiunctionem, solutionemque a liquoribus ventriculo haerentibus, a calore, ac speciatim a gastrico humore perfici, cui vir ad inueniendum natus Ill. et Cel. Collega SPALLANZANIUS coctionis principem caussam detulit **); ac gastricum succum tantum opus praestantem, etsi aqueus videatur, simplicissimum non esse, sed ex aliis, atque aliis principiis compositum, quemadmodum vir immortalis memoriae HALLERUS iamdiu docuerat. Oritur enim ex saliua, quae ex ore descendit, ex humore, qui ex arteriolis in eiusdem ventriculi parietibus obuiis exstillat, quique gastricus proprie dicitur, ex muco, quem folliculi mucosi suppedi-

*) Mat. med. Vol. 1.
**) Differt. di Fisica animal. e veg. T. 1.

peditant, atque e liquoribus, qui e duodeno inteſtino in ventriculum veniunt. Huic vero admiſceri aerem, ſalinas partes, et alimentorum reliquias, atque a diuerſa horum indole, et vario mutationis modo, ac mixtionis proportione diſcrimina deriuanda eſſe, quae in gaſtrico ſucco varia animalium genera inter ſe comparata mihi nuper oſtenderunt, alibi demonſtraui *).

123. Certum pariter eſt alimenti ſolutionem, et mutationem calore maxime loci, motu viſceris, atque aeris in eodem incluſi actione adiuuari; ſub eiusmodi opere nutritiam extrahi materiem, ac multimodis immutari, aere etiam euoluto, ac forte eodem intime ſibi tamquam principio admixto ſiue vulgo *fixum* ſiue etiam *azoticum hydrogenio* conſociatum, ſiue vtrumque, tum demittatur, tum abſorbeatur, quod, etſi probabile, nondum liquet. Cum vero nutritia materies eiusmodi mutationes ſubit, ob quas vel animalem naturam iam adipiſcitur, vel ad eam paullo poſt aſſequendam aptior fit, vi gaſtrici potiſſimum ſucci, aliarumque cauſſarum prohibetur, ne quae alimenta acescunt, aut alcaleſcunt acidum, aut alcali euoluant fermenteſcendo, aut putreſcendo, neue, vbi alterutrum incipiat, ulterius progrediatur.

124. Neque minus conſentaneum eſt veritati cum phyſiologis credere, eductam ex alimentis materiem probe concoctam in duodenum inteſtinum propulſam, admixtamque bili, et pancreatico ſucco magis dilui, magis fluidam, et tenuem fieri, magis ſubigi, et magis animali naturae proximam euadere; tum vero in chylum conuerti, qui a villis exſuctus ad lactea vaſa, ab iſtis ad proprium receptaculum, ab hoc ad canalem thoracicum, atque ab eiusmodi ductu in ſubclauiam vsque multiplici conſpirantium cauſſarum actione

*) Ricerche ſulla natura e ſugli vſi del Succo Gaſtrico etc.

promouetur; a subclauia denique ad communem humorum massam chylum traductum omnes vias circumeuntis sanguinis legere nondum assimilatum, donec paullatim in eas resoluatur, et conuertatur singulares partes fluidas, solidasque cuiusque indolis, quae debent noua nutritia materie reparari, atque etiam iuxta earum naturam necessarium incrementum sumere.

125. Atque haec cum ex tutis obseruationibus deducta sint, communi fere diaeteticorum consensu tamquam vera assumuntur; at reliqua non item, quae afferri solent ad modum explicandum, quo nutritia materies in circuitum sanguinis acta in tot moleculas diuersae indolis resoluatur, quot sunt partes instaurandae, easdemque particulas alias in vno, alias in altero potius loco ad vacua spatiola replenda deponat, vel vni potius quam altero humori admisceat. Praesertim cum plerisque videatur, etiam admissa eorum opinione, qui iudicant in quouis succo nutritioni destinato nutritias particulas specie distinctas praesto esse, singularum partium reparationem non satis explicari; quia in humano corpore, iuxta eorum sententiam, vna, aut altera pars existit, cuius principia, et qualitates ab iis omnino differunt, quae in quauis alimentariae materiae specie hactenus innotuerunt.

126. Verum licet ista tenebrarum plena, et captu difficillima videantur, probabili tamen coniectura aliquo modo assequi possunt. In hunc finem expedit animaduertere cum Lorryo *), aliisque, humores, qui in circuitum aguntur, et communem massam constituunt, manifeste distingui in aquam copiosiorem reliquis, in lympham concrescibilem, quam alii gluten, alii fluidum, aut mixtum animale appellant, in serum, in chylum, seu potius huius partem nondum assimilatam,

*) Traité des alimens vol. 1. P. 2. chap. 1.

tam, atque in rubram sanguinis partem: item chyli portionem nutritioni dicatam vasorum vim passam aliquot post horas in gluten conuerti; atque eiusmodi gluten natura ac proprietatibus ad solidas corporis partes quam proxime accedere, fluidis etiam admisceri, et continue ad putridam degenerationem tendere. Iuuat deinde obseruare id, quod e glutine proniorem ad putrescendum indolem adeptum est, secedere, et aquae admixtum serum constituere, quodque ex eodem glutine, ob alias forte causas separatur, oleosum, et inflammabile in rubros sanguineos globulos mutari, etsi Cullenius *), a nullo glutinis statu eiusmodi globulorum compositionem repeti posse arbitretur, et credat a quibusdam humani corporis potentiis ex eodem alimenti genere efformari, a quo gluten componitur: quod per me quidem licet. Denique oportet existimare nutrientes particulas specie, et qualitate inuicem differre; varia inter se affinitate donari, ac dissimili etiam modo, et proportione coniungi; tum concrescibilem lympham, seu gluten, variis attenuationis, et condensationis gradibus continue obnoxium actione vasorum diuersimode immutari; atque in ea chemicis operationibus exploratum principia resolui, quae a solidis, fluidisque humani corporis partibus trahi solent, nempe resolui in aeris diuersas species, in aquam, in alcali volatile, in oleum, et terram, atque vltima resolutione in carbonium, hydroginium, et azotim.

127. Hisce admissis, aut iam euictis, aut consentaneis veritati, difficile non erit intelligere qui fiat, vt chylus in sanguinem delatus, atque in circuitum assidue ductus plures mutationes subeat, atque in varias, quibus componitur, partes resoluatur, riteque resolutus singula, quae reparatione indigent, siue fluidam, siue solidam naturam habeant, opportune resarciat.

*) Mat. med. loc. cit.

Eius siquidem aqueam partem aqueos humores reparare; oleosam partim in rubros globulos compingi, partim salinis particulis aqua solutis admisceri, sicque in liquores saponis proprietates habentes transire, partim in pinguedinem, seu adipem concrescere; gelatinosam, mucosamue, serum, et mucum praebere; glutinosam in solidas partes conuerti, fluidarumque etiam compositionem ingredi; atque ab hisce omnibus nutritiae materiae principiis diuerso cohaesionis, mixtionis, affinitatis, et proportionis modo inter se coniunctis, quoduis solidorum, fluidorumque distinctum genus efformari, physiologi explicant.

128. Difficile contra est, quod ad nos magis attinet, absolute decernere, quid sit illud, quod generatim materiem nutritiam proprie constituit, seu quid e vegetabilibus, quae in alimentum cedunt, a viribus humani corporis educatur aptum nutritioni. Vt enim in vegetabilibus nutriens principium proxime quaeratur, omnino postulat, sicut appositе animaduertit Cullenius, obseruatio animalium, quia pleraque herbis, frugibusque vescuntur, et quae carniuora sunt animalibus victitant, quae iam ex vegetabilibus omnem escam desumpserunt. Porro difficilis quaestio adhuc difficilior solutu euasit ob diaeteticorum concertationes, et opinionum varietates. Nam, vt mittam eas sententias, quae vtpote rationi, et obseruationi absolute contrariae iamdiu explosae fuerunt, inter constituentes nutritias vegetabilium esculentorum particulas quaedam amylum admittunt, quod aliae omittunt, quia iam ex mucilagine, et oleo compositum considerant; quaedam item oleum excludunt, etsi veritati repugnet, quemadmodum aduersus Duradium Ill. Zückertius *) iamdiu animaduertit; quaedam denique ponunt pro constitutiuis partibus nutritiis earum prima immu-

*) Op. cit. Cap. 1. n. 5.

immutabilia elementa, quod rationi aduerſatur. Id enim, quodcumque ſit, humano corpori nutriendo impar eſt, vt ex HIPPOCRATE rectiſſime monet LORRYUS, quod eiusdem corporis vires excedens, ab hiſce mutari non poteſt *), ac falſum habetur quod ASCLEPIADIS aemulos docuiſſe tradit CELSUS **), cibum nempe non concoqui, ſed crudam materiam, ſicut aſſumpta eſt, in corpus omne diduci.

129. In hac proinde opinionum varietate nouam aliam ſententiam in medium nuperrime protulit CULLENIUS contendens pluribus rationum momentis innixus, mixtum, vt ipſe loquitur, animale, ſeu nutritiam materiam conſtare acido, ſaccharo, et oleo, quae tria inter ſe plane diſtincta in eodem mixto occurrere arbitratur. Putat ſiquidem eiusmodi acidum in vegetabilibus, vel iam naturaliter explicatum, vel ab eisdem aceſcentibus, aut e ſaccharo in ſtomacho euolutum, in mixto animali praeſto eſſe a ſaccharo prorſus ſeiunctum, nec huius partem conſtituens, quod idcirco in eodem mixto tam diſtinctum ſit, vt ſunt ſaccharum, et oleum. Saccharum vero, cui maiorem nutritionis partem adſcribit, etſi dubitet vehementer, an purum, ſalinum, et ſine oleoſa materie ingeſtum alere queat, putat nihilominus aptum nutritioni ſaltem quando inſtar ſucci arundine *Sacchari officinarum* contenti ad ſalinam naturam quam proxime accedere iudicat. Oleum denique vegetabilis indolis, quod ingredi mixtum animale arbitratur, blandum, et mite, cuiusmodi ex oleoſis ſeminibus exprimendo educitur, idem auctor exiſtimat, docetque aſſumptum chylo perfecte admiſceri, deinde intimius cum duabus aliis mixti animalis, et cum ſingulis etiam ſanguinis partibus coniungi, ac nutriendo par eſſe, etiam vbi ab omni

*) Op. cit. P. 1. C. 1.
**) Lib. 1. pag. 5.

alia vegetabili materie seiunctum, purissimum sit. Atque hae, inquit CULLENIUS, tres species sunt materiae vegetabilis, quae vel distinctae, vel potius coniunctae alimentum humanae naturae proprium suppeditant.

130. Verum, aut ego in errore versor, aut in adducta hypothesi ingeniose excogitata neque omnia satis firma sunt, neque saltem tria illa, a quibus omne alimentum CULLENIUS deducit ea ratione, quam idem proponit, nutritioni videntur inseruire. Nam acidum quod respicit, etsi ego certo credam alibilis succi compositionem ingredi, per se tamen, quando nempe simplex acidum sit, aut potius alibili basi careat, ad nutritionem praestandam aptum non arbitror. Etenim *acidificans* principium, seu oxyginium, per se nutrire nemo dixerit, nec acida fossilia nutriunt, nec ipsum acetum, mucosarum partium vbi inops sit, aut nimium assumatur, humanum corpus nutrit, imo fossilium instar nutritionem impedit, et ipsius corporis maciem, et tabem infert. Neque in chylo praeterea recte elaborato, neque in sanguine rite constituto explicatum acidum exiſtit. Si quid enim acidi in animalium ventriculis e cibis, siue acescentibus, siue putrescentibus euoluitur, (euolui enim ex carnibus ipsis etiam cum resoluuntur tenuissimum acidum, forte oxyginium, atque inde carniuorum animalium stomacho haerentes succos acoris indicia praebere alibi euici *), vel liberum manet, vel cum recrementis secedit, vel a nutritia materie ita absorbetur, cum eaque tam intime coniungitur, vt nulla eius in chylo vestigia superſint.

131. Saccharum proprie mihi pariter non videtur principium alterum, cui nutritia materies tribuatur. Dubitat vtique CULLENIUS, an salinum vbi sit, purissi-

*) Ricerche sul Suco Gastrico.

puriſſimumque ſaccharum per ſe, ac ſine oleoſa eius parte nutriat; at ne quidem dubitare debuiſſet. Nutriendi ſiquidem facultatem ac eo, quo vtimur, purificato Ill. et Cel. MURRAYUS, cuius iudicium magni ſemper facio, neutiquam expectat *); nec mihi ſuffulto experimentis, quae cum ſaccharo in animalibus inſtitui, quaeque alibi retuli **), ab eodem ſaccharo polliceor; nec huius vires relaxantes, reſoluentes, et ſaponaceae ſinunt admittere, vt recte idem auctor obſeruat. Neque poterat iure CULLENIUS ſaccharum, ſaltem cum ſalinae naturae quam proximum eſt, nutriens ex eo deducere, quod Nigritae Anglorum mancipia in Americae inſulis ſacchariferae arundinis culturae incumbentes pingueſcant, quoties eius ſuccum, quo tempore ex ea exprimitur, magna copia aſſumant. Tunc enim cum dulciſſimo ſacchari ſucco, in ſalem poſtea conuertendo, oleoſas quoque hauriunt, et mucilagineas partes, quae in eodem liquore maxime abundant; quemadmodum iidem Nigritae pariter pingueſcunt, animaduertente MURRAYO, cum reliquias comedunt, quae a ſecunda ſacchari ſucci ebullitione remanſere, quibus oleoſae, et mucilagineae partes adhuc inhaerent.

132. Quod ſi in quibusdam vegetabilibus, e quibus ſaccharum copioſe poteſt educi, maximeque in cerealium ſeminibus, fructibusque fugacibus, ſeu aeſtiuis non exigua inſit nutriendi facultas, protinus concludendum non eſt, eiusmodi eſculenta, et alimentum, et quidem copioſum praeſtare ob ſaccharum, quod in eisdem deliteſcit. Sunt enimuero quaedam alimenta tum animalia, tum vegetabilia, quae illis magis nutriunt, etſi quocumque modo reſoluta nihil, aut

 parum

*) Apparat. Medicamin. V. v. pag. 409.
**) Opuſcula Therapeutica V. 1. Op. III.

parum sacchari praebeant; sunt quae valde nutriant, licet saccharum in se nondum condant; tum pleraque, quae iam saccharum habent, alimentum suppeditant, quod leuius, et infirmius est, ocyusque diffletur eo, quod saccharo destituta largiuntur. Sed in iis etiam, quae saccharum occludunt, et facile praebent, cur huic potius alendi facultas tribuatur, quam aliis constitutiuis eorum partibus, quas humanum corpus in suam naturam, ac nutrimentum potest conuertere? Cur sane mucilagini, albumini, gummi, amylo, glutini, et oleo, quae in illis esculentis occurrunt, quaeque vel seorsum, vel coniunctim sumpta ad alendum aptissima plerisque censentur, nutriendi potentia non referatur? Horum profecto singula, aut saltem aliqua a nutritione excludi non possunt, praesertim cum ea a saccharo neque CULLENIUS potuerit tuto deducere, neque reapse possint deriuari.

133. Eadem de caussa censeo CULLENIUM minus tuto arbitratum fuisse ex eo speciatim demonstrari saccharum magnam partem nutrimenti nobis afferre, quod fructus *Ficus caricae* sacchari materie diuites praecipuum olim cibum athletis suppeditauerint: Scio profecto caricas copiose, et diu vsurpatas bruta animalia, atque ipsos homines alere, et pinguefacere; ast pariter non ignoro a mucilagineis partibus, quibus valde abundant, omnem nutriendi vim deduci, a dulcibus vero resoluendi, et demulcendi, qua pollent, facultatem communi consensu deriuari. Caeterum animaduerto, caricas neque praecipuum cibum, neque diu athletis praestitisse. Nam qua aetate caricis vtebantur, cerealibus quoque, et leguminibus, ac maxime caseo victitabant, qui, vt notum est, valentissimum affert, ac valde nutriens cibi genus. Nec diu pariter athletae caricis, similibusque alimentis vsi sunt. Cum enim athleta, qui, suadente PYTHAGORA conterraneo suo, hisce cibis carnes substituerat, tantum roboris

roboris sibi comparasset, vt facile eorum omnium, qui aduersus eum palaestra certarunt, victor extiterit, protinus athletarum cibum mutatum fuisse, tumque sublatis vegetabilibus, carnibus, et pinguibus, ac duris alimentis constasse ex LAERTIO, aliisque didicimus.

134. Illud etiam non satis probat, quod ad nutrientem sacchari potentiam arguendam CULLENIUS, vbi de lacte loquitur, ex eorum obseruatione desumit, qui vrinae nimiae profusione, quam diabetem vocant, laborantes, vrinas, quae dulcem habent saporem, et saccharum ignis ope suppeditant, non raro reddant cum summo nutritionis, et virium detrimento. Nam praeterquam quod diabetes non semper mellitus est, vbi etiam eiusmodi sit, dulcis vrinae phaenomenon ad adductam opinionem confirmandam non valet, quin imo ad eam euertendam mihi videtur accommodatissimum. Quomodo enim, si a saccharo nutritio pendet, infirmari, et contabescere corpora possunt, quando in ipso iam sanguine, aut ex eo secretis humoribus insunt particulae sacchari naturam habentes? Si vero, dum id in humano corpore ex morbo praesto est, soluuntur humores, et solidae partes summopere gracilescunt, viresque fatiscunt, nonne potius ex eo liceret concludere, et saccharum ineptum esse nutritioni, atque ei etiam, solida relaxando, et fluida soluendo, non parum officere? Profecto aut id verosimilius est, aut saltem oportet fateri, adductum ex mellita quorundam diabeticorum vrina phaenomenon vtroque in sensu accipi posse, ac proinde ad illam constituendam hypothesim perperam assumi.

135. Vt vero nutritio, quam ea corpora afferunt, e quibus saccharum euoluitur, huic tribuatur, non ea obseruatio sibi absolute vindicat, qua docemur, certe nutrire quae saccharum vel habent, vel euoluere possunt. Inde enim, ni plurimum fallor, solummodo licet inferre in eisdem alimentis ea principia delitescere,

ſcere, e quibus, accedente quarundam cauſſarum actione, quam vel natura, vel ars opportune ſuſcitat, ſaccharum queat efformari. Licet ſcilicet inferre, quemadmodum accuratiſſimis innotuit periculis ſummi viri LAVOISIERII, aliorumque illuſtrium Gallorum, qui Chemiam, et Phyſicam ad nouam lucem nuperrime reuocarunt, in illis corporibus *oxydim* vegetabilem duplicem baſim habentem, nempe *hydroginium*, et *carbonium*, reperiri, quae vbi, quocumque demum modo, cum certa oxyginii copia intime coniungatur, ſeu, vt dicunt, combinetur, in ſaccharum abeat. Saccharum quippe, e quo educitur *gas carbonicum*, et acidum *pyromucoſum* conſtans maxime aqua, et exigua copia olei leuiter *oxyginati*, manifeſte oxyginio, hydroginio, et carbonio componitur.

136. Oleum denique quod ſpectat vegetabile, cui puro, et a quauis alibili materie ſeiuncto nutriendi facultatem tribuit CULLENIUS, et per ſe quidem exiſtit, et carbonio, atque hydroginio componitur, quae duo alibilium rerum duplicem baſim conſtituunt; at nihilominus animaduerſione dignum arbitror, idem oleum ad nutriendum eiusmodi eſſe oportere, vt cum aqueis humani corporis humoribus facile, atque in integrum queat admiſceri. Indiget proinde admixtione vel mucoſarum, vel earum partium, quarum vinculo aqua, et oleum vniuntur. Hinc oleum e vegetabilibus expreſſum, vbi eiusmodi qualitatem non poſſideat, eam in ſtomacho, et inteſtinis adipiſcatur, qua in emulſionem abeat, neceſſe eſt; ſecus, vtpote, vnionem reſpuens, nutrire veroſimile non videtur.

137. Quae quidem omnia conſentaneum reddunt veritati, quod ſupra iam poſui, tria illa, a quibus omnem nutritionem deducit CULLENIUS, alio modo, ac ipſe iudicet, nutritiae materiae compoſitionem ingredi, ac ſola non eſſe principia, a quibus alibilis omnis ſuccus conſtituatur. Porro ego a nutritiae materiae compo-

compoſitione acidum non excludo, imo admitto eam ingredi; aſt tamquam principium acidificans, copia admodum exiguum, vt eſſe ſolet in iis corporibus, quae parum admodum oxyginii continent, quaeque aut acido ſapore carent, aut vix mitiſſimo donantur. Nec denego nutriendi potentiam illi oxydi, quae duplex eſt ſacchari baſis *hydro - carbonica*, quam ego etiam admitto, ſed dubito vehementer, an ipſa tantum nacta oxyginii, quantum ſufficit, vt verum ſaccharum referat, aeque nutriat, cum credam hoc minus alere, quo magis ad ſalis formam accedit. Oleum autem eiusmodi eſſe volo, vt, praeter blandam indolem, proprietatem habeat ſe facile vniendi, quo arctiori poteſt nexu, cum iis humoribus, cum quibus aduehi debet in ſanguinem, atque ad fluidarum, ſolidarumque partium reparationem impendi. Denique exiſtimo non ex hiſce ſolum partibus materiae nutrientis omne genus componi, cum huius aliae, atque aliae in animalibus, et vegetabilibus alimentis praeſto ſint ſpecies, quae euidenter ad communem nutritium ſuccum efformandum magnopere conferunt, quaeque a prioribus illis ſpeciebus proximam ſuam originem non agnoſcunt.

138. Sunt huius cenſus variae illae nutritioni aptae oxydis ſpecies, quas habet tum vegetabile, tum animale regnum, quasque ſuis baſibus donatas, amylum, gummi, albumen, et gluten vulgo nominant. His enim oxydibus, a ſacchari oxyde, atque ab oleo ſatis diſtinctis, nutriendi quoque facultatem competere tam multa ſunt, quae ſuadeant, vt inutile cenſeam ad eam demonſtrandam immorari. Hae autem alibilis materiae ſpecies, cum certam oxyginii copiam abſorbendo, quae nimia non ſit, ne ſecus acidae fiant, in gelatinam abeant illi perſimilem, quae ex iam efformatis animalium partibus educitur, nonne licebit affirmare commune alimentum ex eisdem componi?

Mihi

Mihi profecto verosimillimum videtur ex illis partibus modo aliquot, modo omnibus, et quidem modo pari proportione, et nexu, aut oxygenii copia, modo dissimili coniunctis illam gelatinam, seu mucilaginem coalescere, quae primo in chylum, deinde in singulas nostri corporis partes conuertitur.

139. Hac porro opinione admissa, quae ex alibilium corporum principiis, et proprietatibus nouissime euolutis, atque ex ipsis partium, quae in quouis animante instaurandae sunt, exploratis naturis deducta est, quaeque non minus rationi, quam experimentis, obseruationibusque respondet, singula nutritionis phaenomena minori, quam in caeteris sententiis praesto sit, difficultate explicantur, ac tuto eruuntur praecipua discrimina, quibus patent varia genera alimentorum. Arduum scilicet non est ex ea intelligere qui fiat, vt quaedam alimenta pleniſſime, ac prompte nutriant, alia parcius, et aegre, et quaedam abunde alant, etsi copia exiguum, quod continent, alimentum videatur; qui accidat, vt nonnulla quarundam partium reparationi propius prospiciant, aut maiori, vel minori virium actione indigeant, qua possint assimilari, aut materiem nutritiam facile, vel difficilius diffiandam praestent; qui in animalibus solida, et fluida natura non differant; licet esca dissimilis sit, siue animalis, siue vegetabilis, siue mixta; quique demum aliae in victu, et nutritione dissimilitudines occurrant, quas persequi non vacat.

140. Meminisse tamen iuuabit in hac sententia rationem reddi facile posse, cur quidam omnem, aut saltem praecipuam nutritionis materiem a saccharo deduxerint; cur alii hoc ipsum negauerint; cur quidam simplicissimam, alii compositam illam materiam habuerint; cur Ill. et Cel. Priestleyus docuerit ea solum alere quae, si resoluantur, gas hydroginium praebent; cur denique diaetetici de nutritia materie differentes

non

non sine veri specie in diuersas opiniones abierint, quas modo enumerare non interest.

141. Interea ne quis fortasse existimet in allata hypothesi necessario admittenda esse tot genera alibilis materiae, quot sunt oxydes, quas ad eam efformandam aptas censui, monuisse abs re non erit, eas, ne oleo quidem excepto, specie distinctas esse, non genere. Quaelibet enim iisdem gaudet necessariis proprietatibus; carbonio constat, et hydroginio (vt mittam, in animalibus praecipue, azotim, et phosphorum); atque in primo, vt loquuntur, gradu oxyginium habet. Ob quas profecto causas cum plerique inter nuperiores chemicos iudicent illas oxydes, quamuis differant specie, ad idem tamen genus pertinere, seu dosi tantum principiorum, et combinatione differre; pari iure mihi licebit constituere, easdem, quocumque modo ad nutritiam materiem componendam vna conueniant, ea semper ratione conuenire, vt eiusmodi materia specie dissimilis sit, non genere. Quod si in adducta hypothesi communis alimenti vnum est genus, ac variae item sunt eius species, perspicuum est, in ea quoque sententia sartum manere celeberrimum Hippocratis effatum: »alimentum vnum, et »non vnum«.

142. Quodcumque vero sit alimentum neque in chylum conuerti, neque assimilari, neque nutrire vnquam poterit, nisi, vt saepe iam dixi, ingestum perfecte concoquatur. Cruda enim nutritia materia in animalem naturam conuerti, ac partibus nequit apponi, nisi varias prius mutationes, quas corporis potentiae praestant, opportune subierit. Cum autem alias mutationes, conuersionesque eadem materies subeat in ventriculo, et intestinis, alias in sanguine, alias in organis, quae peculiares humores secernunt, hinc coctionis triplex genus vel ipsi admittunt cum veteribus nuperiores diaetetici, etsi alio in sensu eiusmodi genera

nera accipiant, alioque modo materiem concoqui arbitrentur. In hac autem re quod ad nos attinet, illud maxime est scitu necessarium, quaedam signa generatim post cibum assumptum in vnoquoque se prodere, quae eum tum facile concoqui, tum bene concoctum fuisse significant.

143. Cibos rite, et facile concoqui intelligemus vbi quis bene valens e prandio, vel coena hilaris assurgat, ac, postquam paulisper conquieuerit, nullam lassitudinem sentiat; facile spiritum ducat; nihil insoliti in omni corpore experiatur, non intensum ruborem faciei, non cutis, et praecordiorum ardorem, non nimiam in pulsibus celeritatem, aut subitam, et insolitam in somnum propensionen, aliaque huius census; crudum, aut acidum, aut assumptorum habens saporem non ructet; non siti, non singultu vexetur; nulla anxietate, aut irrequie laboret; nullum in stomacho ponderis sensum, aut oppressionem, aut ardorem, doloremue persentiat; nec stomacho, aut ventre tumeat, nec murmura, constrictionesque interaneorum patiatur; mente sibi plane constet, et vigeat; in iram, vel in alium quemcumque violentum animi affectum pronus non sit; recte perspiret, facile mingat, vrinamque pallidam emittat; vno verbo nihil se pati significet eorum, quae vt functionum integritatem tentari demonstrant, sic arguunt cibos vel tarde, vel male concoqui.

144. Optime autem, et facile quemque concoxisse significant quae ipsam coctionem sequuntur somnus facile obrepens, nullis insomniis perturbatus, non vigilia vel siti propter aliquem ardorem abruptus, ac non vltra modum protractus; restitutum inter dormiendum fatigatis vigilando partibus robur, redditusque menti vigor, quo quis experrectus tuto possit labori se, exercitationi, studiis, et negotiis credere; perspiratio ea ratione aucta, quae assumptorum quantitati, et naturae

turae respondeat; onus ventris, et vesicae aptis, quoad copiam, et indolem, vrinae, aluique egestionibus leuatum; roridus faciei color, floridusque cutis habitus; ciborum desiderium opportune se exerens; nulla in ore amarities, aut nausea, nullaue in pectore, stomacho, et ventre molestia, aliaque huius census, quae secundum naturam restauratas partes fuisse ostendunt.

145. Prout vero, quae veniunt in cibum nutritiae materiae plus, minusue continent, eamque e compedibus, quibus nectitur, facilius, vel aegrius sinunt resolui, eadem esculenta, plus minusue alunt, et maiori, aut minori facilitate, et promptitudine concoquuntur. Hinc veterum nonnulli cibos dixerunt imbecillimae, aut infirmae, aut leuissimae materiae, quos concoctu faciles, et exigui nutrimenti putabant, contra valentissimi, aut firmissimi generis, quos aegre concoqui, concoctos vero abunde alere censebant, ac mediae materiae, seu leuiores cibos, qui inter imbecillimos, et valentissimos medium locum iure obtinerent. At in eiusmodi re veteribus sane subscribere non licet. Nam, vt mittam Celsum, aliosque quaedam esculenta valentissima habuisse, quae facile soluuntur, solutaque parce alunt, ac quaedam imbecillimi, aut leuioris generis iudicasse, quae generatim concoctu difficilia, et valde nutrientia censentur, non pauca alimenta occurrunt, quae copiose nutriunt, ac sub exiguo partium pondere multum nutritiae materiae occludunt, etsi stomacho leuia sint, et facile concoquantur; ne dicam quaedam ab vno homine facillime ferri, expediteque concoqui, quae alter stomacho grauia experitur, atque aegre, et tarde resoluit, ac digerit.

146. Cum autem saepius dixerim materiam humano corpori nutriendo opportunam in vegetabilium alimentorum partibus quoad primam originem esse quaerendam, nolim quisquam inde deducat, me in eorum quasi sententiam descendere, qui victum vege-

vegetabilem ſummis laudibus extollunt, et animalem contra adeo vituperant, et metuunt, vt videantur innuere in ſolis vegetabilibus optimum, tutiſſimumque homini cibum prouidam conſtituiſſe naturam. Quare hic quoque monebo, humanum corpus iam a natura ita eſſe comparatum, vt vires, deperditasque partes inſtauraret cibis ex animali, et vegetabili materie promiſcue petitis, quemadmodum ex ipſo inſtinctu, atque ex ſolidorum, fluidorumque proprietatibus, fabrica, et naturis demonſtrant phyſiologi; omnimodam ſiue ab animalibus, ſiue a vegetabilibus abſtinentiam bene valentibus alienam, et nocuam generatim eſſe, neque vllo modo ad vitae incolumitatem, longaeuitatemque conferre; item tutum non eſſe ſolo etiam pane viuere, etſi in eo, ex tritico maxime confecto, praeter nutrientes particulas, vegetabilibus magis proprias, gluten, ob quod animalia alimenta maxime nutriunt, et homini magis homogenum cibum praebent, non deſideretur; ac denique falſum eſſe ab antiquiſſimis ſapientiae profeſſoribus, maximeque a PYTHAGORA, eiusque diſcipulis carnium, aliorumque animalium ciborum eſum humanae naturae contrarium, et noxium fuiſſe iudicatum; ſicuti perperam illius iure magni nominis philoſophi, et pythagoreorum aemuli, vel antiquitus tradiderant. Hic enim ſectae Italicae auctor abuſum animalis victus ſtudens euellere tantum abfuit ab ea ſententia, vt teneris, ſalubrioribusque animalium carnibus ipſe quoque vteretur, quemadmodum COCCHIUS vir ſane eruditione, doctrina, et facundia inſignis iamdiu euicit *).

147. Quanti praeterea cuique referat, vt ſuam valetudinem tueatur, ex vtroque alimentorum genere cibum deſumere, mala luculentiſſime oſtendunt, quibus obnoxii fiunt, qui in vno tantum genere perſiſtunt. Qui

*) Diſcorſi toſcani p. 2. Diſc. VIII.

Qui enim solis vegetabilibus victitant, quae animalibus leuius nutriunt, chylo maiorem aquae quantitatem tribuunt, et fibras laxant, faciei ruborem, decoremque amittunt, squalloreque obsidentur, macilenti fiunt, acido primarum viarum vexantur, aegre concoquunt, totius corporis lassitudinem sentiunt, infirmitatemque contrahunt, quae omnibus morbis maxime patet. Qui autem solis animalibus diu viuunt, quae vtique vegetabilibus copiosius, et plenius alunt, ac roborant, ob graues humorum degenerationes, solidorumque vitia, quibus vrinosum putridumque se incipiens euolui caussam praebet, grauius adhuc laborant, et facile in lethales morbos incidunt.

148. Quae quidem mala cum vtrumque alimentorum genus commiscendo tutissime auertere cuique datum sit, quisque bene valens perpetuo debet vtroque promiscue vti, sedulo item curando, vt ex vegetabilibus longe plus alimenti assumat. Nisi enim id fiat, licet non omnis a vegetabilibus abstinentia seruetur, animalia esculenta a miti, et blanda vegetabilium materie non satis contemperata nocituras suas qualitates exerunt, corpus nimis nutriunt, et firmant, obesitatem adducunt, cardialgiam, nauseam, haemorrhagias, febres, et alia quam plura mala accersunt.

149. Quaecumque vero alendi vim habent, et cibum, ac potum homini praestant, quaeque nostras animaduersiones merentur ad summa quaedam capita, ad certos ordines, atque ad peculiaria genera reuocant diaetetici, quin tamen diuisionis modum ab eodem principio deducant. Mihi tamen eiusmodi distinctiones reputanti videntur Ill. et Celeberr. Plenkius et Cullenius maxime probandi. Ille alimenta omnia inter se distinxit *) in esculenta tum vegetabilia, tum animalia, in condimenta, et in poculenta, ac rursus,

*) Bromatologia.

quae ſunt vegetabilia, in cerealia, legumina, olera, fungos, acetaria, fructus, et eſculenta cerealibus, oleribusque ſuccedanea; quae vero animalia ſunt, in mammalia, aues, piſces, amphibia, inſecta, et vermes; item condimenta, in ſalina, acida, dulcia, pinguia, lactea, gelatinoſa, aromatica, extraordinaria, et narcotica; denique poculenta, in aquas, cereuiſias, vina, ſpiritus vinoſos, ac liquores lactarios, dulces, et calidos. Alter vero vegetabilia rectius, et vtilius caeteris ſcriptoribus diſtinxiſſe cenſetur, cum ſumma eorum genera in ordines naturales diviſerit.

CAPUT IV.

De eſculentis vegetabilibus ſpeciatim.

150.

Hactenus dixi de iis, quae ad alimenta in vniuerſum pertinent: nunc tranſeundum eſt ad ſingula genera, quae cibum, potumque praeſtant. Eo autem ordine progrediar, vt primum de eſculentis dicam, deinde de eorum condimentis, et praeparationibus, deque poculentis ſeiunctim quoque dicturus de horum omnium vſu tum in ſecunda, tum in aduerſa valetudine. Porro cum ſanis, et aegris materie genere pro viribus vtendum ſit, modusque pro genere ſumendus, ſingula ciborum genera, et ſpecies, quae praeſertim apud nos in victum cedunt, ita perſequar, vt perſpicuum cuique ſit, quinam cibus magis, minusue nutriat, qui tutior, et ſaluberior ſit, qui facile, aut aegre concoquatur, quique, ob ſingulares corporis proprietates, maxime conueniat. „Nam imbecillis „hominibus, inquit Celsus, rebus infirmiſſimis opus „eſt; mediocriter firmos, media materia optime ſu-

„ſtinet,

»ſtinet, et robuſtis apta validiſſima eſt. Plus deinde »aliquis aſſumere ex leuioribus poteſt: magis in iis, »quae valentiſſima ſunt, temperare ſibi debet *).«

151. De ſingulis autem ciborum generibus, eorumque ſpeciebus modo dicturus, a vegetabilibus exordiar, ac proxime a cerealium ſtirpium ſeminibus, cum ab hiſce et communior, et potior humani alimenti pars vbique locorum, vbi illa praeſto ſint, aut ſaltem apud nos, deſumatur. Ea porro omnia ſemina *cerealia* dicuntur, quae eam materiem nutritioni idoneam occludunt, ex qua poſſumus panem, aliasue ſpecies ciborum vario artificio parare. Haec non vno modo cibo apta fiunt; nam quaedam gluma, et cortice tantum ſpoliata, nonnulla mola ruditer effracta, ac pleraque nonniſi prius in puluerem mola comminuta, ac dein farinae ſubactae formam adepta coquuntur. Quae quidem farina ſubacta varia ratione praeparata, vario condimentorum generi admixta, ac diuerſimode cocta plures ciborum ſpecies largitur; vbi vero fermentet, ac rite coquatur, panem ſuppeditat. Vtrumque cibi genus abunde alit, ac generatim facilis coctionis eſt, atque in ſalubrem chylum conuertitur. A quibus vero principiis ſemina cerealia nutriendi facultatem accipiant quaeſitum eſt hactenus inter diaeteticos. Quidam ab amylo, alii ab amylo et glutine, alii etiam a ſaccharo deriuarunt, donec eam potentiam a copioſa ſacchari materie cum pauco oleo coniuncta Cullenius nuper deduxerit. Ego vero nutrimentum, quod cerealia afferunt, ab illis vna coniunctis principiis, ſeu potius oxydibus, quae plus, minusue euolutae in eorum farinis occurrunt, deduco, atque etiam a diuerſa cuiusque oxydis copia, et proportione diſcrimina repeto, quae in cerealium

*) Lib. II. Cap. XVIII.

seminibus, quoad vim nutriendi, iuxta generum et specierum dissimilitudines, existunt.

152. Eiusmodi porro dissimilitudines quaenam sint ex comparatione cerealium, ad quae exponenda accedo, cuique patebit. Porro inter cerealia nobis maxime vsitata primum sibi vindicat locum *Triticum hybernum*, cuius species, et varietates *aestiuum*, *siligneum*, atque aliae ab Ill. Manettio *) iamdiu indicatae, apud nos non desiderantur, quia eius semina notissimae magnitudinis, et figurae farinam albissimo colore donatam continent, quae caeteris cerealium farinis copiosius nutrimentum, et quidem validioris generis, afferre, ac meliorem panis speciem largiri communi fere consensu censetur. Nec quidem immerito ita censetur, quia triticea farina praeter amylum, glutinosam quoque habet materiem (§. 116.) nutritioni opportunissimam, et quidem magis copiosam reliquis cerealium farinis, si eam excipimus, quae e Zeae mays seminibus educitur, (§. 116.), atque etiam prae omnibus in animalem naturam magis elaboratam. Ob quam caussam cum Cullenio dubitare non licet, an triticum reliquorum cerealium seminibus nutrientius sit. Praesertim quia apud nos iamdiu innotuerit villicos, vbi triticeo pane, aut quouis pulmento, ex eo efformato, maxime victitent, longe minus farinae insumere, ac minori cibi quantitate indigere, vt virium robur sustineant, quam vbi praecipuam escam petunt a pane, et pulte, vulgo polenta, e farina *Zeae mays* confectis, licet haec, quoad gluten, reliquis cerealibus, vt iam dixi, ad triticum propius accedat.

153. Hyberno vero tritico, minus alere, atque ob tenacem naturam aegre digeri, et constipare communiter censentur, semina *Tritici Speltae*, seu Speltae maioris, et *Tritici monococci*, seu Speltae minoris

*) Delle specie diuerse di Frumento, e di Pane.

ris siue panem, siue alium cibum praestent. Hinc apud nos vtriusque farinam vix in aliorum cerealium difficultate, et parua quidem copia, farinis aliis admixtam vsurpant rustici. Panis enim ex priori specie confectus aridus, et aegre solubilis stomachum onerat, atque ex altera paratus a triticeo nimium distat, vt cum ZÜCKERTIO credendum sit *), eidem commode substitui. Probabile tamen quibusdam videtur, veteres ex speltae maioris seminibus varia ratione praeparatis *alicam* confecisse, quam interdum aliquot diebus maceratam passo subigebant, atque ex speltae minoris farina, et seminibus leuiter tritis, ac tostis pultis genus parasse, quod *Crimnum* vocabant.

154. Istis igitur speciebus, tritico hyberno excepto, longe anteponitur, siue panis, siue quilibet alius cibus sit conficiendus, *Secale cereale*, cuius semina ob copiosam mucilaginem non parum nutriunt, reliquis cerealibus ocyus acescunt, ac laxant potius, quam reprimant. Interim ob viscosae illius mucilaginis copiam, quam cocta semina ad tres fere ponderis partes erogant, cibi ex educta farina inassuetis, et parum firmis generatim officiunt, ac panis stomacho grauis est, nisi, farinam subigendo, ac rite fermentando, tenuiorum partium euaserit, nimisque pronam ad acescendum indolem amiserit: quod, triticea admixta farina, obtinetur. Hinc, etsi purus ex secale panis Scotis, ac populis frigidioris plagae conueniat, apud nos expedit, et stomacho aptus est, ob satis manifestas causas, tritico admixtus; quemadmodum eum conficiunt qui ex plebe hoc vti malunt, quam confusaneo, furfuraceo, aut ex zea mays confecto.

155. *Hordeum* autem *vulgare*, vt alias eiusdem species, ac varietates praeteream, hic parcissime excultum semina praebet tritico minus nutrientia, ac

 magis

*) Op. cit. pag. 75.

magis ad acescendum prona, quae tamen siue integra, siue munda, siue perlata sint, aegrotantibus potius, quam sanis alendis hic loci inseruiunt. Nec enim hordeaceus panis conficitur, qui etiam purus, et albidus vbi sit, et recens, cum cito arescat, stomacho grauis est, quique subniger, et antiquus stomachum magis onerat; nec mundum hordeum cum iure coctum mensis crebro apponitur, et si hoc modo adhibitum, maximeque *perlatum*, et *germanicum* valde nutriens, et facilis coctionis ferculum praestet, diutina coctione exuens id, quo stomachi, et ventris inflationes suscitat. Antiquissimis tamen temporibus magni vsus hordeum erat. Notum est quippe, Graeciae, et Latii populos cibi, et potus plures species ex hordeo parasse, quarum erant praecipuae *polenta*, *maza*, *ptisana*, huius *succus*, seu *ius*, ac *cremor*.

156. Polentam dicebant interdum tostum hordeum, communiter vero eam Graeci vocabant, auctore Plinio *), quando hordeum siccando nocte vna, postero die frigendo, dein mola frangendo, eius farinam aqua aspergebant, torrebantque in sartagine, additis interdum seminibus coriandri, aut lini, et sale; dum contra, eodem Plinio teste **), Italiae gentes conficiebant polentam sine perfusione tostum hordeum in subtilem, vt inquit, formam moliendo, iisdem adiectis, atque etiam milio. Maza erat hordeacea farina, aut etiam polenta cum aqua, oleo, aut lacte subacta, cui vinum, aut mel, aut etiam passum quandoque adiicebatur, et dein fere panis instar cocta. Ptisana dicebatur hordeum decorticatum, vel etiam eius decoctum. Huius vero, seu hordei succus vocabatur pultis genus ex farina hordeacea, cui valde nutrientem, et restaurantem virtutem Graeci speciatim tribuebant.

*) Hist. lib. 18. c. 7.
**) Lib. 22. c. 25.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0112
DFG

bant. Succi interim nomine, itemque iuris, vel lactis eosdem veteres vsos fuisse ad variam densitatem decoctae ptisanae designandam verosimile mihi videtur; nisi velit quisquam arbitrari, eas voces promiscue vsurpasse, quemadmodum de ptisanae cremore licet ex Celso colligere. Cremor enim, etsi plerisque haberetur densum, ac viscosum illud ius, in quod hordeum vehementi primum, dein leni in aqua coctione conuertitur, Celso quoque dicitur tenuis ille liquor, quem hordeum integrum praebet in aqua decoctum, vsque dum eius cortex dissiliat *).

157. Sed dum hisce cibis, ac hordeo generatim Insubres, et finitimi populi parcunt, vsui magis indulgent *Oryzae sativae* more veterum Italorum, qui hordeum ignauis militibus in poenam a Romanis datum, parui facientes, oryzae valde fauebant, vt inter caeteros scriptores Plinius testatur **). »Italici quidem, »inquit, maxime oryza gaudent, ex qua ptisanam con»ficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo«. Iure autem crebro vtimur oryza, quae in hac feracissima Italiae prouincia, ob deductas miro prorsus opere ex Abdua, et Ticino amnibus per magna incilia, onorariis nauibus paria vehendis, in riuulos fere innumeros deinde diuisa, irriguas continue leniterque fluentes aquas copiose feritur in agris propter interiectos aggeres rite inundatis. Iure, inquam, vtimur oryza, cum ea abunde crescens tam praestantia semina apud nos proferat, vt haec iis forte non concedant, quae in India Orientali, in Persia, aliisue terris ex culta oryza colliguntur, et nutritioni aptissima sint. Eiusmodi quippe semina gluma priuata, mucilaginosa, ac tarde acescentia in aqua, aut iure carnium cocta, donec mollia fiant, atque intumescant, quin liquorem admodum

 spissum,

*) Geoffroy. Mat. med. P. II. p. 302.
**) Op. cit. lib. 18. c. 7.

ſpiſſum, ac viſcoſum reddant, quotidiana fere iuſcula Inſubribus praebent, quae valde nutriunt, grate ſapiunt, facile concoquuntur, et optimum chylum generant, omnique noxa carent. Non enim ex oryza confecti cibi comprimunt, atque adſtringunt, humores tenaces reddunt, tarde tranſeunt, ſtomachum onerant, atque oculorum aciem infirmant, vt quidam perperam tradiderunt. Nec ſi rite coquantur, ex eisdem ſeminibus parata pulmenta, maiores, minoresue placentae, artolagani, et artocreata minus nutriunt, aut difficulter digeruntur. Quin imo Thraces, qui iisdem ſeminibus calido vapore emollitis, et ſale, ac croco conditis maxime victitant, et Sinenſes, aliique Orientalis Indiae populi, qui loco panis firma, et tenaci eius pulte quotidie vtuntur, eiusmodi cibum commode ferunt, nullo inde morbo tentantur, ac bono, et valido corporis habitu gandent. Potius igitur panis ex oryza inſalubris dici debet, ac difficilis coctionis, quia ſubacta farina etiam triticeae admixta, vel huius adiecto fermento vix intus ſe euoluenti aeri cedit, atque in clibano probe cocta aegre reſoluitur, ſtomacho grauis eſt.

158. Huc etiam pertinent alia plantarum ſemina, quae alibilem farinam continent, etſi pleraque, ſiue copia nutrimenti, quod afferunt, ſiue eorum ad digeſtionem difficultas, ſiue vtrumque ſpectetur, aut parum vſitata ſint, aut ſalutaribus cibis non annumerentur. Porro *Auena ſatiua* hic loci ſolis fere equis in eſcam cedit, ac vix in reliquis Italiae prouinciis in ſumma conſuetorum cerealium inopia eius farina, vel aliis admixta, vel ſola, quod rariſſime accidit, in panem ſubigitur. Etſi enim hunc, itemque pultem ex decorticatis eiusdem auenae, effractisque ſeminibus paratam valde nutrire, et ſine difficultate concoqui a Scotis, Septentrionalibusque populis, nec refrigerando, aut calefaciendo vtrumque nocere poſſe, atque

vna

vna carere amaritie tradat CULLENIUS; apud nos tamen cibi ex auena, maximeque panis, nigricans, ac difficilis admodum coctionis, aliqua amaritie donantur. *Feſtuca fluitans*, quae habet ſemina, ſeu *grana mannae* ad iuſcula, et pulmenta ob gratiam ſaporis, ac facile nutrimentum, alibi a diuitibus expetita, hic vſitata non eſt. *Holcus ſorghum* ſemina vtique praebet nutrientia, ac cum eorum farina, ſiue ſola, ſiue cum aliis ſubacta nimis firmum, nigro calore inuiſum, ponderoſum, atque a robuſto etiam ſtomacho difficulter concoquendum panem praebeat, vix in aliquibus Italiae regionibus a tenuioris ſortis villicis vſurpatur. Inuſitatum contra non eſt in quibusdam Inſubriae prouinciis *Polygonum Fagopyrum*, ſeu Frumentum Saracenicum, vel nigrum, quoniam ruſtici e ſeminum farina polentam ſapidam, non parum nutrientem, et non aegre ab ipſis firmo ſtomacho donatis digerendam conficiunt, ac ſubinde cum pari farinae e tritico, vel e ſecale quantitate eam ſubigunt. Sola enim ſubacta aegre fermentat, vix intumeſcit, atque etiam ſi rite in clibano coquatur, panem conſtituit non facile ſolubilem, grauem, atque aliqua reprimendi qualitate donatum.

159. Neque milium, vel nobis magnopere probatur, vel praecipuum eſt agricolarum Inſubriae hodiernum alimentum, vt quidam exterarum gentium ſcriptores tradunt, milii fortaſſe nomine decepti, quo adhuc vulgus improprie vocat panem, qui ex ſola zea mays, vel ex hac cum ſecalis farina componitur, vel milii parum habet. Nam *Panici Italici*, ſeu Panici ſemen decorticatum, vix quibusdam locis interdum ad iuſcula adhibetur, quae dulcicula, licet alant, pauciſſimis arrident, atque auibus ſaginandis inſeruit. Alia vero ſpecies Panici in Inſubria copioſe, et magno emolumento exculta, nempe *Panicum miliaceum*, ſeu milium, ſemina vtique abunde profert, quae in farinam com-

comminuta, agricolae, quibus tenuiores sunt opes, ad cibum recipiunt; ast cum ea iure habeant non multi nutrimenti, reprimentis qualitatis, ac tardae, et difficilis coctionis, nec perpetuo nec vbique locorum, nec sola, siue ad pulmentum, siue ad panem conficiendum vsurpant. Vtrique enim admiscent aliorum cerealium farinas, praesertim cum miliaceus panis, purus vbi sit, in sequentes dies seruari non possit, quin mucidus fiat, aut valde arescat, et ingratum saporem contrahat.

160. Ad cerelia denique, quorum vsus crebior est, ac nutritioni aptissimus, pertinet sane *Zea mays*, seu frumentum, quod vulgo in Italia turcicum, aut siculum improprie appellatur, ac rectius americanum diceretur. Huius porro cerealis seculo decimosexto ineunte in Europam allati, ac per vniuersam Insubriam iamdiu copiose exculti, ac laete crescentis inodora semina sub cortice, qui modo lutescit, modo ex auro nitet, modo albicat, modo alio colore donatur, farinam occludunt, quae egregie nutrit, viresque valde restaurat. Id luculenter ostendunt ii homines corpore firmissimi, qui tum e proximis, tum e dissitis montibus hyeme ineunte ad nos venientes vt ligna serra resecent, quamdiu duro ac grauissimo eiusmodi operi incumbunt, (quinque autem mensibus quouis anno incumbunt), tamdiu vno victitant pulmento ex illa farina cum aqua, et sale confecto, polentam vulgo dicto, quod eam luculento admodum igni admouendo, ac forti, et apta rudicula agitando, vsque adeo fieri potest, atque ad maiorem, qua licet, densitatem coquendo, adhuc calens, valde odorum, et sapidum auidissime vorant.

161. Atque haec obseruatio apprime respondet qualitati, copiae, ac modo nutrientium partium, quae in zea reperiri experimentis nuper innotuit. Praeter alias siquidem alibilis materiae species habet vtique zea illam

illam quoque, quam glutinosa pars constituit (§. 116). Quod si haec alimenti species in zea animali naturae minus proxima est, quam in tritico existat, in eadem tamen zea vberior reperitur, atque ei etiam proprietati assequendae non impar videtur. Gluten enim illud, quod in zea ea caret elasticitate, ob quam glutinosa tritici materies eadem donata ad animalem indolem propior censetur, nonne poterit, vel farinae praeparatione, vel ipso digestionis opere, aerem, vulgo fixum, vel e proximis partibus, vel e primis viis, vbi haereat, secum abripere? Eodem autem abrepto, nonne zeae quoque gluten elasticum fiet? Verosimillimum profecto videtur, quoties animaduertatur in zeae farina copiosum aerem tum arte, tum digestionis opere euolui, ac molecularum, quae animale gluten componunt, vinculum, cohaesionem, atque elasticitatem ab illa aeris specie a Physicis, Chemicisque sapientioribus deriuari. Caeterum quanti in zeae farina pars glutinosa facienda sit, ex eo colligas, quod, obseruante Cl. MARABELLIO *) eadem lutescit, atque instar calentis ex zea panis odora est, ac sapit, dum contra amylum, quod alteram farinae partem constituit, albidum est, plane inodorum, atque insipidum.

162. Huic etiam glutinosae materiae alia quoque accedit alimenti species nutriendo corpori aptissima, nempe illa mucosa oxydes, quam alibi dixi (§. 135.) certa oxyginii copia, aliisque causis accedentibus, in saccharum mutari, quae sane in zea copiosior, quam in cerealibus aliis videtur. Id saltem licet inferre ex sacchari succo, quem in zea mays a summo viro MARGRAAFIO detectum, atque e zeae nostratis ea specie, quae ad magnam altitudinem euehitur, maioraque grana profert, iam duodecim ab hinc annis, a me abunde eductum, copiosiorem in hoc cereale, quam in caeteris

*) Bibl. d'Europa; loc. cit.

ris adesse idem MARABELLIUS nuper inuenit: sicut huius farinae cum reliquorum cerealium farinis comparatione instituta euidenter innotuit. Porro ex illius arundine, ex seminibus lacteſcentibus, e farina, atque e receptaculi medulla eiusmodi humorem eduxit, qui pro vario discrimine partis, e qua elicitus erat, puritate, et copia discrepabat.

163. Itaque, siue experientia, siue ratio consulatur, statuendum est, cibos ex zeae farina desumptos, quidquid in contrarium nonnulli protulerint, valde nutrire. Et reuera polenta, siue firma, siue mollis sit, praecipuum rusticis Insubriae ferculum praebet, quod, nisi infirmus stomachus sit, nec facile acescit, nec grauis est, nec viscera obstruit, nec aluum adeo adstringit, vt quidam tradiderunt. Panis etiam ex zea, cui plerumque modo secalis, modo milii, modo vtriusque farina admiscetur, agricolas, et pauperes sine vllo sanitatis incommodo quotidie alit, eorumque vires optime reficit. Quae igitur vitia ei tribui solent, ab eodem male confecto, nec rite cocto, aut acido, vetusto, aut furfuraceo rectius deducuntur. Neque ex sola zeae farinae panis confectus insalubris generatim est; nam vbi haec rite subacta, vel arte, vel tritici farina, et fermento additis, ad fermentandum aptior reddita sit, magis adhuc nutrientem, sapidum, odore gratum, stomacho aptum, nulla laxandi, aut reprimendi facultate donatum, ac salubrem panem largitur.

164. Recte igitur e zea panem sibi comparant, quibus triticeus non suppetit, qui caeterum quouis panis genere praestat. Farina enim triticea, cuius meliores species sunt, siligo, simila, et pollen, deteriores confusanea, et furfuracea, e maturo frumento, puro, nec alienis, ac noxiis cerealibus admixto frumento, mola probe comminuto desumpta, atque in aqua, cui paullisper salis adiectum sit, pulchre subacta, atque in orbes, bucceas, placentas, spiras, aliasue formas

formas diuiſa, vbi rite fermentet, vel ſponte, vel, vt promptius intumeſcat, addito fermento, leniſſimoque adhibito calore, ac deinde in clibano appoſite calefacto recte coquatur, omnium qualitatum ratione optimum panem largitur. Eſt enim ſapore gratus, leuis, poroſus, tener, qui nec nimis recens, nec madidus, nec adhuc calens, nec iam ſiccus, aut acidus in ore plane, et facile ſoluitur, ac ſtomacho exceptus, cito et ſine vlla moleſtia concoquitur, in ſalutarem chylum conuertitur, atque optime nutrit. Secus qui furfuraceus eſt, aequo ſiccior, aut mollior, collapſus, ponderoſus, et humidus, aut exuſtus, (cuiusmodi facile euadit, qui panis alio potius modo, quam in clibano coctus, ſubcinericius, reuerſatus, focalis, aut craticularis dicitur), aut antiquus, mucore obſitus, aliisue modis corruptus, nec palato, nec ſtomacho, nec nutritioni, nec ſaluti idoneus panis eſt.

165. Magis etiam alienus, et nocuus exiſtit, quando ad eum conficiendum impura farina, vetuſta, incipiens fermenteſcere, arenulis, et ſabulis obſita, nimiumque habens furfuris non ſolum adhibita ſit, ſed aliis ſtirpium ſeminibus, aliisque partibus eorum vegetabilium admiſceatur, quae ſub ipſa fermentatione, piſtorio opere, ac clibani coctione prauas, quas habent cum alendi potentia coniunctas qualitates, aut virus, quod in ſe occludunt, ſatis non exuerunt. Non ſolum quippe nocet frumentum vſtilagine, carie, rubigine, aliisue rationibus infectum, ſed grauius adhuc laedit admixtum *Secali cornuto*, *Lolio temulento*, *Lathyro cicere*, *Eruo eruilia* aliisque, quorum notas, effectus, virus, et antidota perſequuntur medicinae ſcriptores, ac ſpeciatim Ill. et Cel. Collega Frankius opportune recenſet *).

166. Pa.

*) Syſtem mediciniſcher Polizey. T. III.

166. Panis autem, maximeque triticei, praeter adductas, aliae ſpecies exiſtunt. Qui enim iterata coctione ſiccus admodum euaſit biſcoctus, aut nauticus dicitur, eſtque in longis nauigationibus magni vſus, ac generatim boni alimenti, et facilis digeſtionis. Qui ſine fermento paratur, ac per ſe vel nihil, vel parum fermentat, azymos, ſeu non fermentatus eſt, quem, etſi concedam, vt obſeruat CULLENIUS, perperam diaeteticos ſtomacho, et ſaluti infenſum arbitrari; exiſtimo nihilominus ſtomacho magis amicum, et facili concoctioni magis aptum, qui rite fermentando ob rareſcentem aerem, quo viſcoſum reſoluitur, craſſum tenuatur, ac nimis cohaerens disiungitur, poroſus, ac ſolubilior euaſerit. Hinc intelligitur, cur in caeteris, quae ex farina maxime triticea parantur, multiplicibus cibi ſpeciebus, quoad modum digeſtionis non exiguum diſcrimen obſeruetur in placentis, turundis, ac colliphiis, artolaganis, aliisque pro vario coctionis modo, ac fermentationis gradu; cur idem occurrat inter hoſce cibos, ac turundas, lixulas, pulticulas, aliaque ex tritici farina ſine fermento eſculenta confecta; cur denique maiores, minoresue paſtilli ex triticeae farinae flore vbi eam arte partium tenuitatem adquiſiuerint, quam nullum iisdem additum fermentum nequit afferre, ſint recte confecti, atque exſiccati ſtomacho neutiquam officiant probe cocti, et nutriant egregie; praeſertim leuiores, tenuioresque. Eiusmodi habentur paſtilli in variis Italiae prouinciis, atque etiam hic loci confecti, iure probandi, qui prout figura vermiculos exiles, tenuiſſimoſque, minimas amygdalas, milii, aut melonis ſemina, aliaque exigua corpora referunt, varia nomina ſortiuntur.

167. Quemadmodum vero voluptatis potius, quam ſalutis, aut nutritionis cauſſa varia tum Graeci, tum Latini conſueuerunt pani addere, nosque pariter addimus, tam apud eos, quam apud nos tot panis ſpecies occur-

occurrunt, vt eas ſingillatim perſequi nimium videatur. Valde enim diſcrepat ob diuerſum additorum genus ſapore, forma, caeterisque qualitatibus, atque idcirco in plurimas ſpecies diſtinguitur; prout ex animalibus recipit lac, oua, butyrum, pinguedines, ipſasque carnes, atque ex vegetabilibus oleum, mel, ſaccharum, aut vinum, paſſum, paſſulas, quosdam fructus, eorumque ſuccos concretos, et cortices, aut aromata, vt piper, cinnamomum, aniſum coriandrum, atque alia huius cenſus, ſapore, aut odore probata. Quare ſatis erit monuiſſe ſubactam farinam, quaecumque ea ſit, ab additorum viribus nouas proprietates aſſumere, quin tamen panis generatim ex optimo frumento confecto, melioris digeſtionis, ac ſucci euadat, imo plerumque concoctu difficilem fieri, aut vberiori corporis nutritioni, et integritati vel crebro, vel copioſe aſſumptum euidenter officere. Quod ſi quis ſcire ſpeciatim cupiat quid apud veteres naſti panes, bucellae, cruſtulae, placentae, ſpirae, ſumanalia, et artocreata ſignificarent, quod panis genus maza, laganum, popanum, libum, et minutal diceretur, quique panis eſſet mellitus, dulciarius, muſtaceus, picentinus, martius, radius, atque obelius, adeat Cl. Manettum *), qui horum omnium compoſitionem ex Caelio, Apicio, Nonio, aliisque ſingillatim explicat.

168. Mea potius intereſt perſequi, quaenam cerealibus ſuccedanea ſint, non quidem ſingula, aſt quae vel vſitatiora ſunt, vel maxime probantur. Sunt huiusmodi *Sagu grana*, ex Molucca, aliisque Aſiae auſtralis Inſulis in Europam hoc ſeculo aduecta plerumque ſubalbida, inſipida, admodum dura, quae coctione mollia, et maiora euadunt, gelatinam aquae, aut iuri erogant non viſcoſam, non ſtomacho grauem, non

*) Op. cit.

non aegre ſoluendam, non facile in acorem pronam, non inflantem, atque egregie nutrientem. Quae quidem grana ex farina, ſeu medulla trunci arboris in memoratis inſulis creſcentis ſeu ex *Sagu* aut *Palma farinaria Rumphii*, non ex *Cycade circinali* deſumi optimus extat auctor Ill. MURRAYUS, cum tradit quomodo Malayenſes ex eadem farina, quae panem ipſis praeſtat, non penitus exſiccata ope ventilabri diuiſa, per cribrum traiecta, ac calore ſolis, dein leni igne indurata, illa grana conficiant *). Sed haec apud nos a bene valentibus nondum comedi ſolent, vt alibi in Europa diuites ac ſplendidi faciunt, iuſculis, aut pulmentis confectis, atque ipſis etiam aegris raro inſeruiunt, vt ſuo loco dicam.

169. Rarius adhuc ad ipſam aegrorum diaetam recipitur radix *Salep*, ſeu, vt animadvertit MURRAYUS **), a Perſis praeparata *Orchidis maſculae* radix, a qua principiorum, et virium ratione quaecumque ex indigenis orchidibus petita non differt. Iam enim eius vſus ad gelatinas nutrientes parandas non multis abhinc annis valde probatus hic loci euiluit. Adeo tamen mucilaginoſum eſt Salep perſicum, ſeu Orientale, vt in puluerem comminutum ad drachmae pondus ſex vnciis feruidae aquae ſolutum hanc in gelatinam inſpiſſet. Quamquam vero credat CULLENIUS nullum experimentum notum eſſe, quo liceat vim nutrientis proprietatis, qua Salep donatur, determinare; eam tamen idem MURRAYUS adeo inſignem arbitratur, vt aſſerat „Salep plerisque reliquis vegetabilibus ante„cellere, ſi voluminis ratio habeatur, illuſtrante rem „exemplo gummi arabici.“

170. Ad vſitata vero cerealium ſuccedanea iam pertinet *Solanum tuberoſum* quibusdam Inſubriae locis recens

*) App. med. Vol. V. p. 13.
**) Vol. cit. p. 178.

recens propagatum ſtudio maxime Reg. Mediolanenſis Societatis *), quae eius culturam propoſitis etiam, et elargitis ex Aug. Principis munificentia praemiis villicos, agrorumque dominos allicere vtiliſſimum iure cenſuit. Eius quippe tubera non ſolum cruda animalibus ſaginandis commoda ſunt, ſed cum ſapore grata inter coquendum euadant, atque elixa, frixa, toſta, vel inſtar artocreatis aut acetarii praeparata, additis condimentis, vel per ſe, vel cum aliis cibis vſurpata palato arrideant, ſtomacho nec pondere, nec inflationibus, nec tarda digeſtione officiant, ſaluberrimi alimenti exiſtunt. Alunt porro amylacea maxime parte, quam copioſa aqua admixtam vehunt, aliisque etiam particulis, ob quas cerealia diximus nutrire, ſi tamen gluten excipiatur, quo haec tubera carere dicuntur: ac proinde pani praeſtando non aptam farinam largiri, ac cerealibus minus nutrire cenſentur. Verum licet farina ex hiſce tuberibus educta rite etiam cum fermento ſubacta nequeat apte fermenteſcere, ac ſalubrem panem ſuppeditare, aliis farinis admixta huius compoſitionem non male ingreditur, atque in aqua, cui ſal adiectum ſit, in iure carnium, aut in lacte cocta pulmenta optimi ſaporis, et nutrimenti ſuppeditat. Quod ſi ob aquae copiam ſolani tuberoſi alimentum eo minus validum habeatur, quod cerealia ſemina praebent, praeſtat nihilominus, iudice Cullenio, cerealibus, quae nullam, aut potius aegre fermentationem ſubeunt, ex eo quod minus pronam ad aceſcendum naturam patefaciat.

171. Vſitatiſſimae denique cerealium loco ſunt Inſubriae populis, praeſertim, qui montes incolunt, nuces *Fagi caſtaneae*, huiusque varietatis, quae dicitur *ſatiua* maiores proferens fructus. Porro ſiue aqua co-

*) Atti della Società Patriotica di Milano Vol. II.

quantur, vel per se sub cineribus, aliisue modis, siue vstulentur, aut torrefiant, nutrientem cibum praebent, ac sapidum, praesertim, quae ex montibus Lario proximis, atque ex Briantinis collibus proueniunt. Nec clibani calore coctae, et apte exsiccatae plerisque gratia saporis minus arrident. Illae autem magis inflant, et citius soluuntur; hae magis stomachum onerant, ac tardius transeunt. Cibus porro eiusmodi non omnibus vtique expedit, sed qui sine molestia sustinent, eodem valde nutriuntur, siue iam enumeratis rationibus, siue instar pulmenti castaneis vtantur. In panis quippe formam neque ii Insubriae agricolae, quorum angustior domi res est, in clibano coquunt, cum probe sciant nimis difficilis coctionis esse, vt impune sumatur.

172. Ad cerealia, eorumque succedanea quam proxime accedunt legumina, siue indoles nutrientium principiorum, quibus gaudent, siue ratio, qua in cibum possunt accommodari, siue copiosum, quod afferunt, alimentum spectetur. Stirpium siquidem, quae *papilionaceae*, aut *leguminosae* dicuntur, semina generatim, etsi cerealibus difficilius concoquantur, atque ob copiosum aerem, quem ingesta euoluunt, non omnibus conueniant; abunde tamen nutriunt, imo vbi perfecte digerantur, cerealibus ipsis valentius cibi genus suppeditare videntur. Iamdiu quippe euictum est, corpora eorum, qui ob vires diutino, et graui labore duratas praestant caeteris robore, leguminum cibo optime restaurari, ac vicissim eodem sublato, breui, vtut alantur cerealibus, infirmari. Hinc rustici validiores, ac praesertim, qui colles, et montes incolunt, non solum quando cerealium aut inopia, aut caritas est, sed etiam quando eorum vbertas, et vilitas adest, legumina, ac speciatim fabas, et phaseolos in farinam comminuunt, eamque saepe ad iuscula, pultesque recipiunt, ac parua copia farinis cerealibus ad panem conficiendum admiscent. Panem enim ex solis leguminibus

minibus confectum, vtpote ingratum, durum, non omnino solubilem, stomacho admodum grauem, iure respuunt, nec unquam assumunt.

173. Quod vero ad nutritiam materiem attinet, non solum eas omnes nutrientium rerum species in leguminibus praesto esse diaetetici communiter arbitrantur, quas in cerealium seminibus dixi delitescere; verum etiam CULLENIUS eadem ideo censet ad validius nutrimentum aptiora, quia oleosum principium copiosius vehunt, atque vna maiorem aeris copiam continent. Hoc enim aeris genere chylo vberius admixto, et combinato, siue nutritiae eius partes melius euoluantur, siue omnium fluidorum, solidorumque cohaesio augeatur, aut hisce insita vis magis excitetur, siue vtrumque fiat; certum est idem principium virium pleniori restaurationi prospicere, qua firmius corpus ipsum euadat.

174. Itaque legumina, quae mollia, et tenera sunt, quemadmodum viridia, et recentia, ac quae iam exsiccata, et dura inter coquendum molleſcunt, quaeque vtroque in statu probe cocta, ipsius coctionis ope, praeparationis genere, aut quauis alia ratione nimium, si forte habeant, aerem exuunt, priusquam assumantur, debent sane iudicari aptum humanae naturae, ac valde nutriens, et vtile alimentum afferre. Sunt huius census *Pisum satiuum*, cuius semina praesertim viridia, et tenera rite cocta cum carnibus variis, vel cum oryza, vt fiat iusculum, vel in iure pingui, aut aqua, cui condimentum sit adiectum, valde probantur, quia sapore gratissima, et solutu facilia sunt, ac plerisque leguminibus minus inflantia censentur: *Vicia faba*, cuius semina, etsi quibusdam diaetetices scriptoribus, vtpote nimis inflantia, et digestu difficilia, villicis tantum robustioribus apta iudicentur, recentia, et viridia hic loci valde sapiunt, facile resoluuntur, atque in iusculis, aliisque modis assumpta non

plus, quam pisa inflare videntur: *Phaseolus vulgaris*, cuius pariter semina instar pisi cibo apta fiunt, praesertim recentia, ac quae inter coquendum albedinem retinent, ac facile, et cito mollitiem acquirunt, iisdem pisis, ac fabis minus alere, minusque inflare a plerisque exterarum gentium scriptoribus censentur. Sed hic loci quemadmodum semina, ob eiusdem phaseoli diuersas species, ac multiplices varietates, atque ob terrae, qua seruntur, variam naturam, ipsumque culturae discrimen, figura, duritie, mole, ac copia nutrientium partium non parum inter se dissimilia sunt; ita facilitate coctionis, sapore, nutriendi potentia, atque inflandi qualitate inuicem discrepant.

175. Haec maxime legumina probantur, reliqua longe minus, quamquam alendi facultate non careant. Nam *Eruum lens*, quae profert vere nutrientia semina, habent quidem apud nos eam indolem, vt cum iure, aut carnibus cocta, nulla etiam praeparatione antecedente, grate sapiant, et satis emolliantur, ac proinde non raro iuscula, et fercula nobis praebeant; ast etiam in aqua prius macerata, aut quouis modo condita, plus semper aeris ingesta euoluunt, quam a particulis nutritioni, et excretioni dicatis queat absorberi. Quae item semina praebet *Cicer arietinum*, quorum varietates ab arili albo, rubro, et nigro colore desumuntur, vt lentes praeparata, siue integra, siue decorticata, et fracta ad iuscula, vt fieri interdum solet, recipiantur, lentibus vtique valentius alere videntur, ast aeque inflant, atque insuper stomachum magis onerant, aegre soluuntur, ac tarde descendunt, in ipsis etiam rusticis, qui et duris cibis, et cicerum esui iamdiu consueuerunt. Semina pariter *Lupini albi*, quae omni virus suspicione hic loci carent, et in aqua diu macerata amaritiem demittunt, et mollia adeo euadunt, vt a pauperibus hic, aliisque Italiae locis edi possint, maximeque a plebeiis pueris, qui eorum esu valde delectantur, parum

nutri-

nutriunt, et nimis inflant; denique semina *Viciae sativae*, in farinam trita, et aliis cerealibus admixta parum alunt, atque aegre admodum a robusto etiam stomacho conficiuntur.

176. A leguminibus ad ea venio vegetabilia, quae olera dicuntur. Hoc nomine iamdiu vocari consueuerunt omnes herbae satiuae, quae in vsu cibario sunt, seu potius quarum partes comedi solent. Olerum pleraque cocta vsurpantur, quaedam cruda in acetariis, quaedam vtroque modo. Quacumque vero ratione vsurpentur, cerealibus, et leguminibus nutriendi virtute plurimum cedunt. Parum quippe nutritiae materiae in se habent, imo quam habent eiusmodi est, vt ad firmum, et validum nutrimentum elargiendum non valeat. Etsi enim alibilis succus ex iis coalescat oxydibus, e quibus alibi dixi gummi, amylum, et saccharum efformari, tantam vna vehit copiam tum aquae, tum aeris, tum partium saponis naturam habentium, aliarumque, quibus alendi nulla vis est, vt parce reficiat, fluxilis nimis sit, relaxet, humores diluat, ac cito e corpore elabatur. Caeterum nutrimentum, quod afferunt, saluberrimum est, atque tutissimum, vtpote quod boni succi est, et stomacho generatim conuenit.

177. Porro et in ipsis oleribus non leue discrimen aliarum etiam qualitatum ratione existit. Non enim solum quaedam olerum species valentiores, firmioresque sunt aliis, et quaedam solubiliores, at fluxiliores reliquis; verum etiam aliae inflant, aliae ab hoc fere absunt, aliae lenes sunt, aliae acrimonia non carent, aliae facile acescunt, aliae difficilius, nonnullae refrigerant, et stimuli cuiusque vim retundunt, nonnullae calefaciunt, et irritant, aliae mouent aluum, aliae vero citant vrinam, sic vt plurimum interfit earum omnium singulares proprietates nosse. Quod quidem eo magis referre existimo, quia, etsi tutissima

olera sint, perinde non est, an quis stomacho, et nutritioni idonea assumat, an parum vtilia, aut etiam aliena.

178. Scire igitur expedit inter olera, folia *Spinaceae oleraceae*, *Atriplicis hortensis*, et *Betae* tum *ciclae* tum *vulgaris*, seu rubrae dum in iusculis, et pulmentis assumpta nutriunt, temperare, et aluum emollire; folia *Brassicae capitatae*, *rubrae*, *viridis*, ac *sabaudae* ob diuersam mollitiem inter se, quoad facilitatem digestionis, parum differre, ast singula, cocta etiam in iure, inflare, tenuioris esse alimenti, et aluum, et vrinam incitare, ac, dum corrumpuntur, putridum halitum emittere. Boni item alimenti, nec difficilis coctionis est modice assumptum, maximeque in iure rite coctum illud cibi genus, quod ex capitata brassica fermentescendo paratur acidulum, sapidumque, ac Germanis vsitatissimum ob gratiam saporis, quam esculentis animalibus additum iisdem conciliat. Nec denique oportet mali fucci *Brassicae* species *botrytim*, et *brocoli* cum veteribus quibusdam reputare, si tamen liceat admittere, quod nonnulli arbitrantur, ipsos nomine brassicae tum pompeianae, tum cymosae, aut cymae, vtramque caulis speciem designasse. Etenim vtriusque panicula aut cyma aquae rite incocta, ac dein condita gratia saporis, facilitate coctionis, ac minori inflandi qualitate reliquis caulibus, seu brassicis omnium consensu antecellunt.

179. Noua etiam discrimina in oleribus afferunt reliquae herbae, quae in hortis cibi caussa seruntur; ac crebro solent variis modis praeparatae mensis apponi. Nam folia *Lepidii satiui*, seu *Nasturii hortensis*, et *Sisymbrii nasturtii aquatici* in acetariis nobis quandoque vsitata, ob egregias vires in scorbuto maxime euictas medicis vsibus opportuniora sunt, quam nutritioni. Item folia *Oxalis acetosellae*, et *Rumicis acetosae*, quae iusculis, et cibis variis ex oleribus, et carnibus

nibus addita gratum iisdem conciliant acorem, refrigerant magis, quam nutriant; nisi etiam cum quibusdam censendum sit omni alendi facultate destitui. Folia pariter *Poterii sanguisorbae*, seu *Pimpinellae* odoris tantum, saporisque fragrantis caussa aetariis admiscentur, quemadmodum teneriora folia *Borraginis officinalis* cuius etiam flores ob coeruleum colorem iisdem acetariis ornandis solent inseruire. *Lactucae* autem tum *sativae capitatae*, tum *sativae crispae* probatissima folia, maxime in acetariis, refrigerant, sedant, aluum inuitant, aliqua nutriendi facultate non carent, nec stomacho sani hominis aliena sunt. Folia vero *Cichorii endiuiae*, quoties cultura alba, tenera, et subdulcia euaserint, in acetariis, et iusculis nutriunt, grate sapiunt, et temperando, ac soluendo aluum, et vrinam citant, dum quae *Cichorium Intybus* folia iisdem vsibus suppeditat, ab illis differunt amaritie, minori nutriendi vi, atque etiam ex eo quod euidenter roborent.

180. Proprium autem locum inter olera sibi vindicat duplex illa *Apii* species, quarum vna *graueolens* nuncupata *Selleri*, aut *Celeri* largitur, altera *Petroselinum* dicitur. Prior siquidem species, postquam cultura acrimoniam magna ex parte exuerit, et albida euaserit, ob gratum saporem, et odorem aromaticum valde expetitur, atque id ex petiolis, quod albidum est, cum radice apud nos crebro estur crudum cum oleo, et sale, aut coctum cum aliis cibis. Ipsum porro nutrit, vrinam citat, et leniter stimulat, atque hic loci stomacho graue, nisi coctum sit, generatim censetur. Non enim eius radix tenera adeo est, ac dulcescit, vt alibi accidit. Ex altera vero specie, neglecta nutriente radice, tantum folia, quae viridia etiam hyeme suppetunt, desumimus, quae grato aromatico odore, saporeque donata vsitatius epulis, et iusculis, quae aromatica admittunt, condimentum praestant. Nec ne-

gligimus petiolos cum radice *Anethi foeniculi dulcis* redditos, qui cum sale, oleo, et pipere crudi valde sapiunt, etsi stomacho non leues sint.

181. Ad olera etiam pertinent *Asparagi officinalis* turiones, qui sapidi singularem odorem vrinae tribuentes, leuiter cocti, ac butyro, et sale, vel alia etiam ratione conditi boni alimenti sunt, et facilis digestionis; turiones item nutriunt *Humuli lupuli*, qui raro apud nos instar asparagi edi solent, sed in iusculis cocti, quo modo amaritiem exuunt, assumuntur; *Cynarae cardunculi*, cuius folia virentia alibi vsitata, etsi in vsu non sint, petioli tamen cum radice albidi facti, atque esculenti nutriunt, et vrinas ciere dicuntur; ac *Cynarae scolymi* capita, quae cruda cum oleo, vbi exigua, et tenera sint, aut cocta cum butyro, vel oleo condita valde probantur ob sapidam, quam habent in receptaculo atque in calycis squamis nutrientem, ac restaurantem materiem, quae et boni succi, et digestu non difficilis iudicatur.

182. Oleribus quoque hic loci vsitatis annumerantur tum ea legumina viridia tenera ex *Phaseoli*, ac *Pisi* varietatibus desumpta, quae elixando, ac dein butyro, aut oleo concidendo, palato, stomacho, et nutritioni idonea fiuni: tum quidam fructus copiosam aquam habentes, vt *Cucumeris satiui*, qui crudi, aestiuis diebus, non paucis gratum, et vsitatum, licet stomacho non leue, acetarium praebent, aut cum sale et aceto conseruati reuera sapiunt, et nutriunt, licet non facilis sint digestionis: tum ii speciatim fructus quos *Solanum melongena*, vt *Cucurbita pepo* largiuntur, quia illius fructus post leuem coctionem, qua amaritiem demittunt, in pultem resoluti, vel secti, atque assati, gratum, facile concoquendum, atque aestate vsitatissimum dant cibum, atque alterius pariter fructus, qui virides, siue parui sint, siue maiores, cocti, et vario modo praeparati nutriunt, humectant,

et

et laxant: tum denique, ne modo ea commemorem, quae ad condimenta referuntur, non paucae sativae radices.

183. Eiusmodi est radix *Raphani sativi*, quae ob gratam acrimoniam adhuc cruda cum sale auide editur, etsi ructus moueat, atque illius *Raphani* varietatis *armoracea* dictae, quae hic loci maior, quam alibi sit, atque vna sapidior, ob pungentem, et feruidam qualitatem, stimulans, vrinas ciens, cum oleo, et sale crebro estur ad ciborum desiderium excitandum, etsi ructus faciat, inflet, nec cito e stomacho descendat. Item radices *Brassicae rapae*, huiusque varietatum, quibus siue in iusculis, siue post elixationem cum pingui condimento rite coctis vis inest nutriens, humectans, et vrinas mouens, nec multum inflans, nisi crudae, aut male coctae, sumantur; *Brassicae*, tum *napobrassicae*, tum *gongylodis*, tum *napi*, quae, etsi rapa magis sapiant, magisque probentur conditae, minori tamen facilitate digeruntur, et magis inflant; *Betae vulgaris*, seu betae rubrae, quae sub cineribus, aut in clibano coctae, sectae, atque instar acetarii ob dulcem proprium saporem nobis valde vsitatae modice inflant, refrigerant, et nutriunt; *Dauci carotae*, quae subdulces, parum aromaticae, siue cum iure coquantur, siue cum carnibus, facile resoluuntur, egregie nutriunt, vrinas citant, ac salutarem generant chylum.

184. Ad minus vero vsitatas apud nos esculentas radices pertinent reliquae alibi sativae, et crebro vsu probatae, cuius census habentur *Pastinacae sativae*, et *Sii sisari* fragrantes, subaromaticae, et dulces, *Scorzonerae hispanicae*, et *Campanulae rapunculi*, *Oenotherae biennis* inodorae, et subdulces, *Tragopogonis pratensis*, et *porrifolii*, quibus pariter subdulcis inest sapor, cui aliqua amarities succedit, atque aliae rarius adhuc, et a solis pauperibus vsurpatae radices, quae sane omnes, cum nutrientem vim habeant ab amylo, quod

quod ex quibusdam eduxit Ill. Bergius *), atque a succo, quem in saccharum conuertit Cel. Margraafius **), cum generatim napis, rapis, similibusque radicibus minus inflent, et cum temperent, atque vrinas moueant, vbi rite coquantur in iusculis, commendari solent, aut instar acetarii comedi, vt apud nos vsu venit. Caeterum cum quaedam olera, atque hae maxime radices cum aliis stirpium, quae virus habent foliis, aut radicibus magnam similitudinem prae se ferant, curandum sedulo est, ne iste illarum loco sumantur summa hominum pernicie. Quare ad graues, et saepe funestos eiusmodi errores declinandos praestabit monita perspectissima habere, quae in hac re Ill. Frankius apposite commemorat ***).

185. Hisce propositis expedit, vt inter vegetabilia esculenta recensеam eos fructus nutriendi facultate donatos, quos plantae proferunt, qui cum ad maturitatem vel aestate, vel autumno perueniant, ac diuerso gaudeant sapore in aestiuos, et autumnales, atque in acidos, acido-dulces, aqueo dulces, austeros, et oleosos communiter distinguuntur. Improprie siquidem a quibusdam horaei promiscue appellantur. Hac enim voce eos solummodo designarunt Graeci, quos aestiuum anni tempus ad maturitatem perducit, quosque Latini temporarios, aut fugaces ideo dixerunt, quia decerpti facillime corrumpuntur.

186. Porro siue aestate, siue prouecto autumno matureſcant, principia, a quibus alendi facultatem accipiunt, non omnes habent eodem modo maxime ob dissimilem oxyginii copiam, admixtionem, et nexum, vnde alimenti specie, et sapore iidem fructus inter se differre videntur, quemadmodum aliis etiam proprietatibus

*) Mat. med.
**) Mem. de l'Academ. de Berlin 1747.
***) Op. cit. pag. 279, et seq.

tatibus differunt. In quibusdam enim gummi maxime abundat, in quibusdam oleum, in quibusdam saccharī materies, estque in nonnullis tum idem gummi ea ratione, vt sponte exsudet, tum oleum, vt sine vlla praeparatione educatur, tum quod saccharum efficit, vt quam facile huius proprietates acquirat, nisi iam habeat. In nonnullis item oxyginium ita excedit, vt acidum saporem, quem ex eo acceperunt, aegre, aut nunquam exuant, in aliis ea proportione cum caeteris principiis se habet, vt ambigas num in iisdem fructibus dulcedo supra acorem emineat, an contra; dum in aliis tam minima reperitur copia, vt nullum inesse videatur, quemadmodum in fructibus oleosis. Sic cum quibusdam nutrientibus partibus tam arcte adhaeret, vt eas in nouam materiem conuertat; quod de albumine in acidis fructibus in gelatinam mutato licet suspicari, cum istos gelatinam praebere obseruauerit Ill. Fourcroeus *), non albumen, quod omnia recensita vegetabilia non acida suppeditant. Denique in aliis eo vinculo cohaeret cum oleosis partibus, vt saponis proprietates fructuum succis tribuat.

187. Atque hae porro dissimilitudines, cum iam in ipsis fructuum naturis existant, debet necessario euenire, vt illae etiam proprietates, quae generatim eisdem tribuuntur, non exiguis exceptionibus subiaceant. Quod quidem etsi omnino debeat admitti, in vniuersum tamen licet affirmare, optimi succi nutrimentum fructus praebere, admodum solubile, cito reficiens, stomacho amicum, quod aestum nimium corporis prohibeat, et temperet, stimulo suo actionem ventriculi intendat, humores spissos diluat, et resoluat, bilis vim nimiam retundat, ac nimis spissam tenuet, laxitatem fibris inferat, vrinam inuitet, aluum emolliat, nimium corporis incrementum, et robur prohibeat, corru-

*) Fourcroy Ann. de Chim. loc. cit.

corruptioni aduerſetur, atque aliis modis, dum fructus nutriendo amiſſas reparant partes, earum integritati proſpicere. Quae vero diſcrimina in fructibus ipſis pro vario eorum genere in eisdem obtineant ex ſingulorum recenſione patebit, quam aggredior, fructus omnes diſtinguendo, vt iam dixi, in acidos, acidodulces, aqueo dulces, auſteros, et oleoſos, quam quidem diuiſionem opportuniorem caeteris video, ipſum etiam Cel. PLENKIUM ſequutum fuiſſe *).

188. Fructus itaque acidi, praeter gratiam, qua donantur, ſaporis, quamque cibis tribuunt, magnopere praeſtant virtute refrigerandi, acrimoniam humorum, maximeque bilioſam temperandi, ac putredinem prohibendi, imo appetitum excitant, chylum magis ſalutarem, et nutriendo proprium efficiunt, ſicque nutritioni non parum conferunt, etſi per ſe copioſam nutritiam materiem ſuppeditare non poſſint. Huc vero pertinent fructus *Citri medicae* ſeu *citri*, et *Mali limonii*, ſeu limonii notiſſimi ſaporis, et odoris, quorum praeſertim pulpa vſu venit; baccae *Berberis vulgaris*, quae apud nos ob citri, et limonii copiam inuſitatae ſunt; fructus *Pruni cerafi acidi*, qui hic maxime loci eximii ob acorem contemperatum gratiſſimum, reliquis acidis fructibus eminent nutriendi facultate; baccae *Ribeſii albi*, et *rubri*, quae acorem habent eiusmodi, vt ſenſum etiam imprimant linguae vini dulcis.

189. Inter fructus acido-dulces antecellit ſane fructus ille pomo polyſpermo ſimilis ſapore praeditus inter armeniacam, et vinum ſuauiſſimum quodammodo medio, quem *Bromelia ananas* in meridionali, et occidentali America ſponte profert, atque eadem in Europae calidariis exculta largitur. Hic enim fructus, qui detracto cortice, atque in taleolas ſectus editur, tanta gaudet odoris fragrantia, ac ſaporis ſuauitate, tamque

*) Op. cit. pag. 104.

tamque eximie nutrit, viresque reſtaurat, vt inter diuitum delicias ſit menſis appoſitus, et reliquis hactenus in Europam inuectis fructibus praeſtantior habeatur. Huic accedit quatenus fragrans eſt, ac ſapore ſuavis *Citri aurantii dulcis* fructus, cuius pulpa maturitate dulceſcens, quin ſacchari additamento egeat, non ſolum palato arridet, et nutrit, ſed aeſtum corporis moderatur, atque huius, et ſtomachi vires reficit. Veniunt deinde drupae tum *Pruni - armeniacae*, ſeu *Mala armeniaca*, quae ſuauiter ſapiunt, et nutriunt, tum *Amygdali Perſicae*, ſeu *Mala perſica*, quae egregio ſapore, et odore, atque vna optimo ſucco nutritio donantur; et fructus *Pyri mali*, ſeu *Poma*, quae in pene innumeras varietates diſtincta, ac generatim ſucco nutriente, refrigerante, et laxante donata, ſtomacho etiam idonea ſunt, ſiue cruda pulpam facile ſolubilem occludant, ſiue cocta, vel igni admota facile mollia fiant, atque ob *pyromucoſum* acidum euolutum gelatinoſa euadant, quemadmodum obtinet etiam in fructibus *Pyri communis*, eiusque quamplurimis varietatibus, in quibus omnibus maturitate, vel arte, opportunam mollitiem nactis ſuccus vtique nutritius bonae indolis, ac facilis digeſtionis ineſt.

190. Iſtis quoque ex dulci acidulis fructibus annumerantur fructus *Pruni domeſticae*, ſeu *Pruna*, in quibus ob varietatum diſcrimen, vnde diuerſa ſortiuntur nomina, vis aluum laxandi cum nutriente, et temperante coniuncta non eadem eſt in omnibus, cum quaedam abunde etiam ingeſta eam non moueant; fructus *Ceraſi dulcis* in quibus, quaecumque eorum varietas ſit, cum eximio ſapore vis nutriens, reſoluens, ac refrigerans coniungitur; item drupae *Fragariae veſcae*, ſeu *fragae*, quocumque aſſumantur modo, odoris, ſaporisque ſuauitate probatiſſimae, quae dum alunt, refrigerium afferunt, ſoluunt, atque vrinas citant; baccae *Rubi idaei*, quae pariter non minori odoris, ac

ſaporis

saporis gratia donatae, boni, et refrigerantis succi sunt, ac stomacho idoneae existunt; denique, vt inusitatos fructus, aut medicis tantum vsibus dicatos praeteream, satis erat monuisse fructus *Vitis*, siue *vinifera*e, siue *apyrenae*, quorum qualitates, et vsus neminem latet huc pertinere, atque vuas prioris speciei exsiccatas, passulas maiores vocari, alterius vero passulas minores, aut vuas corinthias dici.

191. Istis autem fructibus, quibus gratia saporis, aliumque qualitatum ratione praestantissimis vniuersa Insubria admodum abundat, magis refrigerant, temperant, humectant, et laxant, qui aqueo dulces dicuntur ob copiosam aquam, quam vehunt aliis principiis admixtam, ob quam accidit, vt nutrimentum cito diflandum, corruptioni obnoxium, ac non omnium stomacho idoneum erogent. Est huius generis fructus *Cucumeris melonis*, qui apud nos pro diuerso, e quo prouenit, solo, magnitudine, et sapore valde differt, ac fructus *Cucurbitae citrulli*, seu *Anguriae*, qui in quibusdam Insubriae prouinciis cultus prope insipidus, ob cucumerinum halitum inuisus negligitur, dum in aliis aquosam, et dulcem, nec ingratam odore carnem occludens, atque admodum refrigerans, vtpote ad fallendam sitim, corporisque ardorem compescendum aptissimus, syrio saeuiente, crebro auideque estur. Ad hoc quoque fructuum genus attinet fructus *Ficus caricae*, qui recens *ficus*, exsiccatus *carica* nuncupatur, quatenus et ipse saporis gratia, vbi maxime ex collibus meridiem respicientibus proueniat, probatissimus non solum est; sed cum mucilagineis, et dulcibus partibus aquae non parum habeat, eamque eo maiorem, quo minus sapit, dum nutrit, et soluit, emollit, laxat, et aluum mouet.

192. Sicut vero eiusmodi fructus laxant, et robur eneruant, contra, qui grate austero aut acerbiusculo gaudent sapore, laxitatem prohibent, ac natam emendant,

dant, imo leniter adstringendo corpus, quod nutriunt, firmius efficiunt. Sunt eiusmodi fructus, quos praebet *Punica granatum*, seu *Mala punica*, aut *Granata*, quae grana condunt leuiter vinosa, acida, et stiptica; fructus *Pyri cydoniae*, seu *Mala cydonia*, aut *cotonea*, quae fragrantia, maturitate, et coctione mollia, atque vna subacida euaserint; fructus *Cornus masculae*, qui nimiam stypticitatem non habeant, et *Crataegi azaroli*, vbi probe maturi dulcescentes fiant parumque adstringentes; fructus *Oleae europeae* nondum maturi muria praeparati; ac baccae *Mespili germanicae*, seu *Mespili*, quoties iidem paleis substratis ad perfectam maturitatem perducti, nimis acerba, et adstringenti qualitate amissa, subuinosi grate ex dulci acescant.

193. Oleosi denique fructus nutrimenti multum afferunt, atque recentes, vel qui saltem aetate rancorem nondum acquisiuerint, salutarem generant chylum, nec stomacho alieni sunt. Id saltem dicendum est de nucleis *Amygdali communis dulcis*, qui epidermide detracta grati saporis sunt, et boni succi, *Coryli auellanae*, qui recentes, et exsiccati edi solent, *Inglandis regiae*, *Pistaciae verae*, et *Pinus pineae*, qui omnes plus, minusue nutriunt pro maiori, aut minori, quam habent, olei copia, ex qua proportione fit, vt nonnulla aliis etiam plus, aut minus inuoluant atque obtundant.

194. Quemadmodum vero inter fructus, de quibus hactenus dixi, non pauci sunt, qui etiam exsiccati apud nos comeduntur, vt cerasa acida, et dulcia, persica, pyra, pruna, caricae, atque alii, inter quos dactyli, seu drupae summa dulcedine donatae ex *Phoenice dactylifera* desumptae; sic abs re non erit monuisse exsiccatos fructus ob amissas aqueas partes, aliasque etiam deperditas non quidem meliores, vt quidam aiunt, generatim euadere, sed solutu difficiliores fieri,

et stomacho graues, aut saltem non multum idoneos, nec adeo salubrem, vt succulenti, praestare cibum.

195. Superest denique, vt edules fungos inter vegetabilia alimenta recenseam, ad quae sane pertinere vir summus MICHELIUS eorum originem ex seminibus patefaciens satis euicit, etiam si animalium naturis adeo accedant, vt distillati plurimum ammoniaci, aut salis alcalici volatilis suppeditent, sibique relicti putridam fermentationem subeant, ac tabo propere diffluant; quemadmodum iamdiu compertum est. Vtrum vero modice, an abunde fungi nutriant, diaetetici inter se quaerunt. Horum quippe nonnulli ideo parum nutrire eosdem fungos contendunt, quia obseruant nutrientis glutinis exiguam copiam continere, et maximam aquae, inter coquendum mollitiem amittere, et plerumque vix immutatos ex aluo prodire; dum alii, hisce etiam admissis, copiosum, et validioris quidem generis alimentum fungos afferre ex eo iudicant, quod videant nutritias eorum partes alibili animalium succo esse quam proximas, ac frequenti fungorum esu satis refici eorum corpora, qui viribus, regione, labore, et duro victu obfirmatis donantur. Verum hanc quaestionem tutissime quisque dirimet, qui mecum animaduertat, fungos generatim aegre resolui, atque concoqui, proindeque firmo indigere stomacho, cuius potentia, quo magis fieri potest, resoluantur; tumque ipsos, quo magis concoquuntur, eo melius, et plenius alere.

196. Etsi vero nutriant fungi, et rite conditi adeo sapiant, vt plerique in deliciis eos habeant, instar quorundam veterum, qui cibum deorum nuncuparunt, anceps tamen alimenti genus suppeditant. Non enim solum copia grauiter nocent hypochondriorum, et ventris inflatione, stomachi pondere, et anxietate illatis; sed grauius adhuc quoties venenatam indolem assumpserint. Tum enim vel exigua quantitate ingesti miro

miro feralium ſymptomatum agmine vitae minitantur, et niſi protinus laboranti auxilium feratur, mortem accerſunt. Qua quidem in re diſcrimen ex eo maius eſt, quod neque ii fungi, qui edules, et idonei communiter cenſentur, omni metu ſemper careant, neque cocturae, aut praeparationis genere tutiſſimi fiant, neque inutiles, et venenati, ſpecie, aliisque differentiis, ac certis quibusdam notis diſcerni a tutis, et vtilibus poſſint. Etenim quae fungorum ſpecies vna in regione idoneae ſunt, in alia noxiae plerumque exiſtunt, et quae pariter culpa generatim immunes iudicantur, interdum virus exerunt. Neque fungi, ſiue ex oleo inferbuerunt, ſiue pyri ſurculus cum his inferbuit, vt putat CELSUS *), ſiue panis, ſiue allium, aut ſi argenti, vel aurichalci lamina, dum coquuntur, in ollam detenta colorem non mutauit, omni noxa vacant. Neque aliquod ſi habeant virus oleo, ſale, aceto, pipere, allio, ſimilibusque additis illud exuunt. Neque etiam ſatis eſt ab iis abſtinere, qui cauum ſtipitem exhibent, grauiter olent, et acrimonia linguam percellunt, atque inter coquendum corii veluti duritiem acquirunt.

197. Porro non ſolum certae notae, quibus inutiles ab idoneis diſcerni poſſint, nondum ſuppetunt, ſed hactenus ignoratur quid ſit quod fungis virus inferat. Id enim diu a Philoſophis quaeſitum adhuc latet, diuque ex eo fortaſſe latebit, quod arduum ſit hoc ipſum inueſtigationis genus, vt reperi, in brutis animalibus tentare. Ego ſiquidem ad eiusmodi faciendum periculum a ſummo viro BURSERIO, quem eximium praeceptorem perpetua grati animi memoria recolam, olim excitatus grauem ſane laborem non refugi, vt hanc indaginem, quam ipſe bonae frugis vberrimam ſuſpicabatur, perficerem. Verum ex hiſce periculis

*) Lib. V. cap. 17.

nullum fructum percepi. Quoties siquidem fungos, qui venenati censentur, aut vulgo edules, quos ego infensos reddere tentaueram fermentationi committendo, aut acidis, alcalicisue fossilium liquoribus imbuendo, canibus et felibus admouebam apta ratione praeparatos, vt facilius assumerent, toties haec animalia eos respuebant, vel si tum sponte, tum per vim deglutirent, confestim vomitu excutiebant futuram, quam conïicebam, noxam eludentes.

198. Ast de his alibi; nunc satis erit fungos, qui apud nos edules speciatim sunt, e vestigio indicare, scilicet *Agaricum campestrem*, *delicioſum*, *cantarellum*, et *lactifluum*, *Clauariam coralloidem*, *Phallum eſculentum*, et *Lycoperdonem tuberem;* atque etiam monere inter fungos hic non solum gratia saporis, et tenera textura phallos optimos esse, ac tubera, quae albida sunt, gratissimum odorem valde penetrantem diffundere, et sapore eximio donari, atque adeo tenera esse, vt recentia cruda edi possint; verum etiam omnium tutissimas duas istas species fungorum esse iudicandas. Etenim licet agaricus lactifluus, qui caeterum recens, et coctus ob gratum odorem, saporemque auide estur, omni noxa carere vulgo dicatur, certis tamen obseruationibus mihi compertum est, interdum virus ostendisse.

199. Porro quaecumque sit fungorum species, quae virus habeat, quaecumque huius sit natura, minime debet ignorari, eiusmodi viru susceptо, breui se prodere praecordiorum anxietatem, stomachi pondus, nauseam, singultum, strangulationis sensum, ventris inflationes, tormina, tremores, frigidos sudores, inflammationem, gangraenam, et conuulsiones, quae omnia excipit mors, vbi neque apta, neque opportuno tempore adhibita sint, quae tutiora censentur artis praesidia. Non enim tunc

tunc satis est ex Celsi consilio *) radiculam, aut e posca, aut cum sale, et aceto edere, vel ea tentare remedia, quae veterum alii proponunt, vel ea, quae vulgus per experimenta probata putat, licet aliena, oleum nempe, vinum, acetum, aromata, et quae opium habent; sed protinus expedit idoneis medicamentis vomitum, dein aluum mouere, postea frigidam aquam copiose haurire, gelidamque, aliaque pro re nata remedia experiri. Dolendum quippe est huius mali absolutorium remedium, aut antidotum nondum reuelatum fuisse: quod vtinam innotesceret, aut saltem homines donec reperiatur, gulae illecebris sanitatem, et vitam non postponerent. Quae voluptas tanta, dicam cum Plinio, ancipitis cibi **)?

CAPUT V.

De esculentis animalibus.

200.

A vegetabilibus esculentis ad ea progredior, quae ex brutis animalibus deprompta in hominis victum quam vtiliter cedunt, atque illis copiosius, et plenius nutriunt, ac roborant. Haec siquidem cum alibiles particulas habeant iis persimiles, quibus humanum corpus conflatur, easdemque in gelatinam ex glutine, oleo, et muco coalitas, gastrico succo facile, et omnino solubiles, parum fluxiles, atque ad alcalescendum pronas, ipsis vegetabilibus facilius digeruntur, humanae naturae magis idoneum nutrimentum

*) Loc. cit.

**) Op. cit. lib. XXII. cap. 23.

praebent, ſanguinis ac praeſertim rubri copiam intendunt, ſolidarum partium vacua ſpatiola magis replent, cohaeſionem maiorem efficiunt, atque vim irritabilitatis augent, eamque admoto etiam ſtimulo excutiunt. Quae quidem dum oſtendunt, quomodo prae vegetabilibus animalia eſculenta magis alant, magis impleant, ac corporis incremento, et robori magis proſpiciant; luculenter quoque patefaciunt, quomodo eiusmodi alimenta generatim facilis digeſtionis ſint, et boni ſucci, etſi in eorum generibus, et ſpeciebus, quoad copiam, proportionem, ſolubilitatem, modum, aliasue diſſimilitudines nutrientium particularum, diſcrimina exiſtant; quae cuique ſingula recenſendo, perſpicue patebunt.

201. Porro in alimentis recenſendis quae ex animalibus promuntur, conſonum videtur a lacte initium ſumere, cum ob partes, quas continet, animalis, et vegetabilis indolis, cibos vtriusque generis inter ſe quodammodo coniungat. Huius vero liquoris, qui ob vna coniunctas oleoſas, mucilaginis vi, et caſeoſas partes emulſionem referens odore leuiſſimo, ſibique proprio, ac gratiſſima dulcedine donatus, non alcalicus, non acidus, qui ſponte in cremorem, caſeoſam partem, et ſerum reſoluitur, huius, inquam liquoris, eductorumque qualitates, et vſus in hominis nutritione ſolummodo attingam, relinquens Phyſiologis, et Chemicis expendenda, quae ad eiusdem lactis originem, differentias, et principia attinent, ne in eorum prouincias videar irrumpere. Hic enim loci ſatis eſt nouiſſe oleoſis, ſaccharinis, et mucilagineis partibus lac alere, atque ipſum pro diuerſo animantis, e quo emulgetur, genere, pro vario, quo idem vtitur, victu, pro anni tempore, proque varia illius aetate, habitu, regione, quam incolit, aliisque, diſſimilem proportionem inter partes, quibus componitur, patefacere, ita vt mirari neutiquam ſubeat, ſi qui de lactis princi-

piis

piis differunt, quoad rationem, et vim cuiusque partis, non vna conueniant.

202. Integrum lac egregie nutrit, demulcet, et laxat ex quocumque animantis genere nobis vsitato desumatur, siue ad sanos, siue ad aegros reficiendos; ita tamen vt ex vno petitum magis altero nutriat, hocque illo magis demulceat, et temperet, itemque ex vno desumptum plus alio dulcescat, aut plus minusue laxet; quod eas lactis species, quibus vtimur, consideranti perspicue patebit. Lac muliebre dulce admodum est, etsi paullo minus asinino, quod est dulcissimum, et longe minorem vtique habet tum cremoris, tum caseosae partis copiam, quam in bubulo lacte reperiatur, sed, reliquis eius spectatis proprietatibus, atque origine, humanae naturae accommodatius existit. Asininum omnium dulcissimum est, nisi forte, vt dicitur, dulcedine parum concedat equino nondum a me explorato, ac cum in se minus habeat butyri, et casei, plus vero seri quam in lacte vaccino, caprillo, et ouillo obseruetur, hisce tenuius, et minus nutriens, magis vero temperans, et refrigerans, digestu facilius, ac minus ad coagulum pronum censetur. Huic succedaneum a plerisque habetur equinum ob principiorum proportionem, dum ab aliis sero magis abundare dicitur. Proximum hisce est caprillum, quod muliebri, et asinino crassius inter vaccinum, et asininum quodammodo medium censetur iis accommodatius, quorum stomachus nec vaccini crassitiem, nec asinini tenuitatem sustinet ac tamen nutrientem, et roborantem cibum requirit. Hoc enim proprii habere dicitur lac caprillum, vt parumper adstringat, et roboret, virtute ab adstringentibus stirpibus, quibus caprae vescuntur, potissimum accepta: quam tamen qualitatem a casei copia, qua donatur, ex Ill. Rutty sententia *) rectius

*) Mat. med.

rectius explicandam, nunquam potui plurimis obseruationibus institutis in eodem lacte detegere.

203. Vaccarum autem lac caprillo pinguius, et crassius esse communi quidem sententia a GALENO deducta olim iudicarunt diaetetici, donec nuperiores quidam obseruantes in Hibernia, Scotia, aliisque regionibus vaccinum longe minus pingue, et crassum esse, quam caprarum lac sit, contrarium iudicium tulerunt. Verum in Insubria, ac maxime in Comitatu Laudensi lac bubulum caprillo pinguius, et crassius est, ac nutriendi qualitate, saporis gratia, et butyri, ac casei copia tam optimum ex vaccis, praesertim ab Heluetia comparatis, mulgent, vt in nulla fortasse alia Europae regione eo melius occurrat. Porro RUTTYUS tradit *) in lacte caprillo cremoris quantitatem triplo maiorem esse, quam in bubulo sit, tum caseosam illius partem vna tertia superare bubuli. Ego vero caprillum, et vaccinum lac comparando, quod vere ex capra, et vacca eodem tempore enixis, et viridibus herbis vescentibus eodem die, eademque hora fuerat emulsum, reperi vaccinum triplo maiorem cremoris copiam habere caprillo, atque illud paullo etiam plus casei continere. Etenim ex libra lactis caprilli vnciam vnam cum septem drachmis, et duobus scriptulis casei eduxi, ex pari vero quantitate vaccini duas vncias cum vno scriptulo. Quae quidem cremoris, et casei vis in Laudensi vaccino lacte adhuc maior est. Ouillum denique lac vtpote omnium crassissimum, et caeteris magis caseosum stomachum onerare dicitur, nec diu vsurpatum salutare censetur: sed quo iure non facile dixerim.

204. Lactantia quoque caetera bene alunt. Nam lactis cremor, seu oleosum illud, quod lac sibi relictum sursum vehit vbi ex vacca probe alta prouenit, et

*) Op. cit. p. 266.

et nondum acorem contraxit, siue per se, siue cum saccharo, siue cum hoc, et coffeae infuso assumptum, vt apud nos vsu venit, pingue, inuoluens, ac valde nutriens alimentum suppeditat. Vbi vero acorem leuiter conceperit, etsi ab aliis gentibus probetur, et minus nutrire dicatur, insuetus nobis est cibus, cum plerisque sapore non gratus appareat, eorumque stomacho officiat. Quod autem lactis genus ex eo calefacto, et ope animalis, aut vegetabilis coaguli concreto paratur, ac proinde ex cremore, et crassamento, seu caseosa parte exsurgit, et lac inspissatum nuncupatur, aestate apud nos vsitatissimum neque aegre concoquitur, neque mediocriter alit.

205. Butyrum, quod oleo constat sola agitatione e vaccino lacte seiuncto, hic loci pinguissimum, delicatissimumque, cum recens, non rancidum, non salitum semper copiosissime suppetat, vsitatius non solum est condimentum omnium ciborum, quae pinguia postulant, sed etiam quibusdam obsonium existit, maxime addito saccharo. Quocumque vero sumatur modo, facilis esse coctionis, obuoluere, et valde, ac tuto nutrire quotidiana experientia luculenter euincit. Tum enim solummodo euadit digestu difficile, aut stomacho alienum, aut acris, et noxiae qualitatis, quando, vel rancidum, vel nimia copia vsurpatur.

206. Caseus autem vaccinus caeteris caseis nutrientior non solum existit, verum aeque salubrior, imo ouillo concoctu facilior, aut saltem stomacho minus grauis mihi videtur, secus ac quidam cum Zückertio *) arbitrentur. Vsitatissimum porro nobis tum obsonium, tum condimentum caseus largitur; et iure quidem cum idem caseus, qui e lacte, post detractum ad butyrum conficiendum cremorem, adhuc pingui in

*) Op. cit. pag. 153.

Insubria conficitur, moderate salsus, opportunam nactus aetatem, ac citra omnem acrem qualitatem exquisite sapidus valde nutrientem, non aegre soluendum, ac mirifice restaurantem, et sat tutum cibum largiatur. Quae quidem omnes qualitates eum in eo caseo emineant, qui ingenti copia in Laudensi prouincia paratur, hicque aetatem diutius ferat, atque in longis maritimis itineribus incorruptus maneat, in vniuersum pene orbem mittitur, estque ideo exteris gentibus magis cognitus nomine Parmensis casei, quia olim paruo pretio Laude Pompeia eiusmodi caseum emere, ac dein maiori alienigenis vendere Parmenses consueuerant. Hicce itaque caseus optime nutrit, et noxa caret. Quae enim ad eius vsum in sanorum victu criminandum in medium adduci a quibusdam solent, difficillimae scilicet esse coctionis, inflationes mouere, motum peristalticum imminuere, aluum adstringere, obstructiones viscerum inferre, et putridam in primis viis, rancidamque in sanguine acrimoniam generare ab eiusmodi casei abusu, aut a praua qualitate solummodo sunt repetenda.

207. Post lac mihi commodum videtur de ouis dicere, quae foemina *Phasiani galli nostratis*, seu domestica gallina excludit grato, et miti sapore probatissima, magisque vsitata iis, quae *Meleagris gallopauonis*, et *Anatis anseris domestici* foeminae praebent, etsi haec nec difficilis digestionis, nec ingrati saporis, nec mali succi hic loci sint iudicanda. Tunc enim ingrata, et parum salubria euadunt quando ex male pasta aue sumantur, vt in gallinaceis accidit ouis, quae odore, et sapore displicent, facile diffluunt, et cito computrescunt, quoties domestica gallina immunda, et putrescente esca victitauerit; vt euenit, cum bombycis chrysallidibus clibani vim passis diu alta sit. Ideo vero post lac de iisdem ouis dicere opportunum censeo, quia arbitror eadem recentissima solubilitate, ac demulcente,

mulcente, et blanda indole principiorum multis antecellere animalibus eſculentis, niſi etiam dicendum ſit cum Ill. Cullenio iisdem pene omnibus praeſtare, quatenus minus, vt inquit, alcaleſcunt, ac, dum concoquuntur, minus ſtimulant. Porro oua ob gelatinoſam, oleoſamque, quam habent, naturam, prae reliquis fere animalibus cibis nutrire, ac ſine vlla quaſi mutatione, id ſaltem quod candidum eſt, in chylum, et ſanguinem conuerti plerique affirmant, dum alii dubitant, an verum vtrumque ſit. Ego autem dum experientia ſuffultus crebrum ouorum eſum, etiam ſine condimento, ad plethoram corpus diſponere admitto, alterum cum Cullenio denego propriis item obſeruationibus innixus, quae oſtendunt adhuc liquidum albumen aſſumptum in ſtomacho coagulari, atque iterum diſſolui, cum abit in chylum.

208. Itaque oua recentiſſima nec priuata albumine (quod glutinoſum cum nutrit oleoſa vitelli principia contemperat, et huius corruptionem retardare dicitur), facilis digeſtionis ſunt, et cito, atque abunde vires reſtaurant, vbi eatenus cocta, vt, eodem albumine vix coaleſcente, tremula tantillo ſalis addito ſorbillentur, aut niſi in aqua vel iure ſoluta hauriantur, ea ſemper ratione guſtui idonea fiant, vt poſt leuiſſimam coctionem adhuc mollia, cum modica, ac plane innoxia conditura ſumantur. Quae enim elixa ſunt ad duritiem, in calidis cineribus aſſata, frixa, aut quouis modo indurata, butyro, vel oleo valde condita aegre concoquuntur, tarde deſcendunt, craſſum, et prauum generant ſuccum, atque in nidorem facile tranſeunt, maxime vetuſta vbi ſint, quae praeter ingratum ſaporem, odoremque eo magis aliena ſunt, quia ob inſenſilem iam inceptam fermentationem, nauſeam, ſtomachi, inteſtinorumque inflationes, cruciatus, alui fluxus, aliaque mala inferunt.

209. A vitello praeterea ouorum praecipuam nutriendi facultatem plura ciborum genera accipiunt, inter quae duo nutritionis copia, saporis suauitate, et vsu maxime probantur. Vnum est oui vitellus diu subactus, cui saccharum, et coffeae infusus postea adiiciuntur, quod pro ientaculo multis arridet, nutrit, excitat, perspirationem auget, ac demulcet. Alterum constituit idem vitellus cum vino, et saccharo coctus, estque nutriendi, calefaciendi, et sudorem pellendi facultate donatum, atque ob saporem plerisque probatissimum, quod idcirco hyemalibus diebus antecoenium non paucis praestat, vel coenae loco a quibusdam assumitur.

210. De carnibus autem animalium dicturus non de omnibus differam eorum generibus, et speciebus, quorum partes vel edi possunt, vel alibi comeduntur sed tantum de iis mammalibus, auibus, piscibus, amphibiis, insectis, et vermibus, ex quibus sanorum, aegrorumue cibos desumimus, qui, praeter gratiam saporis, digestionis modo, et nutritii succi proprietatibus stomacho, et nutritioni conueniunt. Et protinus scire expedit carnes maiori, aut minori facilitate dissolui, ac solutas plus, minusue densum, cohaerens, aut alcalescens, atque etiam salubre nutrimentum afferre non solum ob differentiam, quae in carnibus ex dissimili animantis genere, et specie praesto est, sed ob multiplex quoque discrimen, quod in ipsis ab animantis aetate fit, et habitu, et conditione, et pabulo, et membro, coelo, solo, et mortis genere, ac tempore, ne modo variam ipsius carnis praeparationem commemorem.

211. Praeter illa porro discrimina a generis diuersitate profecta, quorum causae adhuc latent, caro generatim annosi animantis dura, et parum succulenta difficulter resoluitur, eoque crassiorem, atque alcalescentem praebet succum, quo vetustius animal est; nimis

nimis autem iunioris, vtpote admodum mucida, et humida, plus acidi, et citius euoluens antequam computreſcat, minusque alcaleſcens, parum ſapit, ſtomachum fere ſubuertit, ac minus firmum, et fluxile alimentum praebet; dum contra, quae ex iuuene, aut mediae aetatis, quod nondum ſummam corporis magnitudinem impleuit, animali deſumitur, tenera, grata, et gelatinoſa materie diues facile diſſoluitur, cito concoquitur, abunde alit, et ſalubre nutrimentum largitur. Item caro pinguium animalium, niſi nimio oleo officiat ſtomacho, mollior, ſolubilior, et nutritior eſt ea, quam macra, aut macilenta praebent, eademque magis ſolubilis, et tenera, magis pinguis, magisque ſapore grata exiſtit ex caſtrato, quam ex integro animante petita; quemadmodum caro ex mare denſior, validioris alimenti, et melioris ſaporis eſt ea, quam ex foemina eiusdem ſpeciei nondum licet enixa deſumimus.

212. Animalia pariter optimae caeterum naturae eo tempore, quo venerea tentigine ad perennandam ſobolem alliciuntur minus nutrientem dant carnem, minusque gratam, imo interdum ſubhircino tam graui halitu inuiſam, vt fere comedi nequeat, nec ſalubris admodum ſucci ſit. Quae vero animalia, vt citius pingueſcant ab omni fere exercitationis genere prohibentur, et calido in aere, nec ſatis renouato diu manent, quemadmodum lucri cauſſa cum bouibus, ſaepe a lanionibus fit, carnes habent, quae pinguiores vtique ſunt, et minus alcaleſcentes, quae ob crudam indolem, et minorem gratiam ſaporis carnibus animalium ſe exercentium concedunt. Animalium pariter, quae vegetabilibus victitant, carnes tenerae, delicatae, mites, et facile ſolubiles ſunt, dum eorum, quae carnibus victitant, durae, aegre ſolubiles, valde alcaleſcentes, ſubacres, et ſuburinoſo odore ingratae exiſtunt: quod diſcrimen ab eſca mutata in eadem etiam animantis

ſpecie

ſpecie occurrere, vt caetera mittam exempla, turdus inter aues, et taxus inter quadrupedia luculentiſſimum reddunt. *Turdi* enim variae ſpecies, quae veſcentes inſectis, nec ſapore, nec digeſtionis facilitate, ac ſucci blanda indole probandas carnes exhibent, autumno baccis, et vuis enutritae, ſaporis ſuauitate expetitum, facile ſolubilem, tenerum, ac mitem cibum largiuntur: itemque taxus, vt dicebam, ſeu *Vrſus meles*, qui animalibus viuens carnes habet ob duritiem, ingratum ſaporem, odoremque palato, ſtomacho, et ſalubri nutritioni non idoneas, poſt vindemiarum tempus iam vuis, aliisque fructibus altus, et ſaginatus easdem ſiſtit carnes, quae omnium qualitatum ratione ſuillae quam proximae ſunt.

213. Carnes quoque eiusdem licet animantis eo caeteris paribus ſapidiores, molliores, ſolubiliores, magisque nutrientes habentur quo ipſum animal meliori, ſibique commodo, grato, auideque expetito pabuli genere nutritur, tum ipſae eiusdem pariter ſpeciei differunt etiam, quoad mollitiem, et ſaporem pro ipſo regionis diſcrimine, proque diuerſa ſoli natura. Nam generatim animal frigido ſub coelo degens, et ſicco in ſolo vitam ducens ſapidiores, denſioresque carnes habet eo, quod ſub calido coelo, humidisque in terris natum eſt, et viuit. Quemadmodum vero ipſae tum carnes pro vario, quo deſumuntur, membro, tum partes animalium reliquae ad ſolida pertinentes pro diuerſa earum textura ſucci nutritii copia, et denſitate, fibrarumque duritie differunt, ſic aliae aliis magis nutriunt, validius alunt, et ocyus, ac plenius ſoluuntur.

214. Demum ex ipſo, quo animalia necantur, modo, atque ex tempore, quo eorum carnes cibo aptantur, noua diſcrimina praeſto ſunt. Animalia enim quadrupedia non prius mactata, quam inſolito aeſtu, fame, ſiti, et nimio motu, aut labore fuerint vexata,

vexata, aut in ſpeciem quamdam furoris adducta, carnes ſuppeditant parum ſalubres, ſubacres, et nimis cito putreſcentes. Quae vero morbo, quicumque ſit, ſponte pereunt, aut detracto neutiquam ſanguine, ſed intercluſo ſpiritu necantur, carnes praebent, quibus nemo veſci deberet, quia nimis propere computreſcunt, niſi iam ſubputridae ſint, malum plerumque vehunt ſuccum, ac quouis in caſu periculo non vacant. Denique carnes, quae non prius cibo parantur, quam in iisdem ad eum gradum, quo macerari ſolent, vt ſolubiliores, aptioresque digeſtioni fiant, perducta ſit putredo, quae odore aliquo declaratur, nec boni alimenti ſunt, nec generatim ſine aliquo digeſtionis incommodo, ac ſalutis damno concoquuntur.

215. Hiſce propoſitis venio ad mammalia terreſtria, quorum alia cicura, alia fera ſunt. Vtraque in vniuerſum boni ſucci, et facilis coctionis alimentum erogant. Verum an carnes cicurum, vt verinis magis nutriunt, quia gelatinoſis, et pinguibus partibus magis abundant, ſic facilioris coctionis ſint iudicandae non ſine multa contentione a diaeteticis diſceptatur. Nonnulli ſiquidem putant priores, caeterum minus ſapidas, vtpote magis ſucculentas, et molliores facilius concoqui; dum alii contra arbitrantur facilioris digeſtionis eſſe ferinas, quamuis ſicciores, eiusmodi proprietatem repetentes a locis ſalubrioribus, quae fera animalia incolunt, a maiori corporis exercitatione, a magis alcaleſcente eorum indole atque a ſapidiori, eorumque naturae magis apto cibo, quo victitant. Aſt haec animalia cicuris quidem ſapidius, et valentius alimentum ſuppeditant; ſed „cum eorum caro, inquit „appoſite Spielmannus, ob eam vitae rationem ma„gis firma ſit, hinc validiores vires digerentes exigit, „nec conducit debilibus“ *).

216. Ad

*) Mat. med.

216. Ad cicura mammalia, quae nobis dant cibum, pertinent *Bos taurus*, *Ouis aries*, *Capra hircus*, et *Sus scrofa*. Nam *Bos bubalis*, seu *bubulus*, qui non annosus carnes sapidas et digestu faciles sistere dicitur neque sylvestris, neque cicuratus in Insubria reperitur; alia vero apud nos licet domestica sint, vsu non veniunt. Caro siquidem *Canis familiaris*, quam suddulcem esse, modice nutrire, atque a probe saginato animante sumptam facile digeri plerique perhibent, crebro comedunt Indi, Sinenses, et Afri, atque alui, et visceris cuiusque obstructione laborantibus vtilem censuit Hippocrates, nunquam vsurpatur. Caro item *Equi caballi*, quae obsessis militibus, et caeteris etiam hominibus, deficientibus reliquis cibis, alimentum interdum praestitit, et semicruda a Tartaris expetitur, nimis dulcis, et humida, nauseosa, atque aluum subducens nunquam editur. Denique *Equi asini* caro praui saporis, et succi a nemine assumitur, nec eius pullus, nobis plane insuetum alimentum, Italis omnibus in deliciis est.

217. Iam vero taurus nec probati saporis, nec facilis digestionis carnes sistit, et eius foemina, seu vacca parum sapidas, quin tamen stomacho graues, et concoctu difficiles dici debeant, dum ipse taurus castratus, seu bos, itemque iuuencus probe enutritus habet carnem, quae valde gelatinosa, et succulenta facile solubile, optime nutriens, roborans, et validum nutrimentum praestat, neque a stomacho rite constituto aegre digeritur, prout veterum plerique tradiderunt. Etsi enim concedam pro diuerso, quo desumitur membro, firmitate differre, ipsamque proinde plus, minusue esse solubilem, verisimile est de carne bouis annosioris loquutos fuisse, quae revera difficilioris digestionis habetur. Caro autem vituli duos iam menses praetergressi bubula longe mollior, solubilior, minusque alcalescens est delicatus cibus, nobisque ob magnam

magnam vitulorum copiam valde vſitatus, nec muci nimium vehit, nec relaxat, aut aluum mouet, vt quidam aliis locis obſeruari affirmant.

218. Oportet etiam hic loci in determinandis qualitatibus reliquarum partium tum bouis, tum vituli cibo vſitatis ab opinionibus recedere, quas aliarum gentium ſcriptores de illarum ſalubritate, et vſu amplexi ſunt. Nam vt mittam linguam optimi eſſe cibi, quod et ipſi lubenter concedunt, cerebrum rite frixum delicatum, et egregie nutriens neque ſtomacho graue eſt, neque in eo putreſcendo mali ſucci euadit; iecur rite coctum, aut aſſatum non parum ſapit, ſine difficultate, maxime vitulinum, concoquitur, et valde nutrit; pulmones apte cocti, conciſi, et leuiter frixi gratia ſaporis plerisque probati bene alunt, etſi minus carnibus, nec, ſi ex vitulo ſint, debilium, aegrorumque ſtomachum onerant; cor et renes graues potius dicendi, cum non ſatis molleſcant, coctione, licet vulgus ſine vlla ſtomachi moleſtia conficiat; lien nec ſapore, nec copia nutrimenti, nec digeſtionis facilitate probandum nonniſi parte interiori educta, et eius loco variis condimentis inditis coctum a tenuioris ſortis hominibus editur; ventriculi denique fruſtillatim diſſecti opportuna coctura, et apto condimento eam mollitiem, et gratiam ſaporis acquirunt, praeſertim ex vitulo ſumpti, ob quas vſitatiſſimum, plerisque valde expetitum, et ſine vllo ventriculi incommodo ſoluendum, edulium largiantur.

219. Non minus autem vitulina, probatur ſalubri ſucco, mucoſae gelatinae copia, facilitate coctionis, humectandi virtute, atque ipſo ſapore caro aliis potius gentibus, quam nobis vſitatior, quam *Arietis*, et *Ouis* foetus ſeu *Agnus* praebet. Caeterum caro, quam affert ipſe *Aries caſtratus*, ſeu *Veruex*, etſi ob firmam compagem fibrarum nequeat ſolubilitate cum agnina contendere, iis nihilominus alimentis accenieri non

debet, quae difficulter digeruntur, vel aliis de cauſſis parum vtilia cenſentur. Nam ſapida, grata, ſucco gelatinoſo, et pingui diues abunde nutrit, et prae caeteris carnibus auctore SANCTORIO inſenſilem cutis exhalationem promouet. Aliena potius, aut vilioris notae habetur caro *Ouis arietis* tum maris, cum foeminae, ſeu *Ouis*. Etenim caro arietis ſubhircino odore, nauſeoſo ſapore, tenaci duritie, et crudo, ac prauo ſucco nec palato, nec valido ſtomacho, nec bonae nutritioni commodat; ouilla vero, niſi ex iuniori, et nondum enixa, et pingui oue ſumpta ſit, inſipidum, viſcoſum, difficulter ſoluendum, et veruecina minus nutriens alimentum ſuppeditat.

220. Deteriorem adhuc carnem habet *Capra hircus*, difficilis nempe digeſtionis, ſaporis valde nauſeoſi, et tam foetidi halitus, vt communiter in cibum non recipiatur. Capri, ſeu hirci caſtrati, quamuis minus foeteat, caro, prae duritie tamen, et ſucci cruditate vix a validiſſimis digeſtionis potentiis diſſoluitur. Caprae vero, ſeu *Hirci foeminae* tenaces, et durae carnes a ſolis robuſtis hominibus ſine ſtomachi moleſtia confici poſſunt, ſed vbi concoquantur valentiſſimi alimenti eſſe Ill. CRANTZIUS a thebano quodam athleta deducit, qui hac ſola viuens carne corporis robore caeteris praeſtabat *). Itaque ex caprino genere ſolum caro haedi, ſiue catuli caprae lactentis a tertio aetatis menſe vsque ad ſextum in cibum recepta probatur, quatenus tenera, et ingrato halitu expers, ac ſapida, facile concoquitur, nutritium ſuccum bonae indolis vehit, et ſatis alit.

221. Inter cicura denique mammalia ſingularem animaduerſionem deſiderat *Sus ſcrofa*. Scire quippe expedit, carnem ſuillam generatim ſapidam, et valde pinguem copioſam nutritionem afferre, nec generatim aegre

*) Mat. med. V. 1. p. 65.

aegre resolui; iis tantum grauem esse, atque ob imperfectam sui dissolutionem insalubrem, qui pinguia non facile sustinent, nec penitus concoquunt; viscosum, aut crudum, nec salutarem tunc suppeditare chylum, cum animal non glandibus, fabis, napis, aliisque mitis indolis alimentis saginatum fuerit, aut immundis, sordidis, corruptisque, vt persaepe fit, rebus, victitauerit; eam senibus, debilibus, et stomacho languidis, sedentariis, vel acrimonia laborantibus ideo praesertim officere, quia eius vsus demonstrante SANCTORIO consuetam cutis emanationem vna tertia imminuit, vt iam innotuit ATHENAEO docente suillam in corporis habitu vix diflari. Quod quidem vbi perpetuum, neque a singulari corporis conditione, neque a digestionis difficultate profectum demonstretur, atque vna certius constituatur scrofam in Oriente lentigine saepe laborare, tuncque comestam lepram afferre, vel praesentem exasperare, ratio reddi tutissime poterit, cur suillae carnis vsum nimis crebrum, copiosumque cutaneos morbos inferre plerique affirment, ac cur orientalibus gentibus legumlatores eiusdem esum religionis praecepto interdixerint.

222. Ignorari quoque non debet suillam carnem differre prout eadem a sue mare, ab eodem castrato, a foemina, atque ab eius catulo sumitur. Caro siquidem maris, seu verris, praesertim senioris, difficulter resoluitur, et viscoso nimis glutine pollet, ac foeminae, seu scrofae non castratae, licet marem nondum experta, laxat, et grato sapore caret, imo deterioris notae censetur petita ex scrofa vel recens enixa, vel offoeta. Contra sus castratum, seu maialis, nec admodum iuuenis, nec antiquus, vnius scilicet aut alterius anni exquisite sapidam, satis solubilem, et valde nutrientem dat carnem. Sus lactens, seu porcellus duorum, aut trium mensium, licet assatus in deliciis sit, atque ob teneram carnem facillimae digestionis a

quibusdam iudicetur, attamen nimio mucido humore, copioſaque pinguedine officit ſtomacho, non plene ſubigitur, atque aluum laxat.

223. Denique ſuilla praeparata tum carnis, tum ipſius praeparationis qualitates ſequuntur. Hinc ſuillae carnes variae, earumque ſpeciatim petaſiones, ſuccidia ex temporibus, vel humeris, petioli farcti, longabones, lucanicae, inſicia, et farcimina, aliaque eiusmodi ſalſamenta, cum apud nos mollitie partium, gratia ſaporis, atque appoſito condimento excellant, nec poſſint ob vetuſtatem rancida officere, nec difficilis digeſtionis, nec inſalubris ſucci debent iudicari. Nec ego poſſum cum quibusdam cenſere quae ex ſanguine, atque iecure tum maialis, tum aliorum animalium, apud nos conficiuntur varia genera ciborum, ac ſpeciatim apexabones, omacinae, ac tuceta, et difficilis coctionis, et mali ſucci, cum quotidie videam eiusmodi cupediis, niſi condimentorum luxuries accedat, aut ſumentis intemperantia, ſine vllo digeſtionis onere, nullaque ſanitatis offenſione bene valentes vti.

224. Haec de cicuris animalibus, nunc pauca dicam de feris, ac primo de *Apro ſylueſtri*, qui licet in Inſubria non occurrat, interdum tamen ex Ferraria ad nos mittitur. Eum vero, vt multis notis cum ſue domeſtica conuenit, ſic carnem praebere, quae non multum a ſuilla differat, quidam perhibent; aſt minus vere. Nam aper cum curſu valde corpus exerceat, ſyluarum fructibus, raro ſordidis alimentis victitet, carnem ſiſtit longe ſapidiorem ſuilla, et magis alcaleſcentem, atque ob minorem olei copiam facilius concoquendam. Eſt vero aprugna, etſi firmior ſuilla, tenera nihilominus, maxime ex iuniori apro deſumpta, nec viſcida, corruptioni tardius obnoxia, ſalubris, et ſanis hominibus apta. Illae autem duae *Cerui* ſpecies, quae Ticini ſaltus incolunt, *capreolus* et *elaphus*, carnes pariter ſiſtant ſtomacho, et nutritioni valde idoneas.

neas. Etenim caro *Cerui capreoli* vnius, aut alterius anni praesertim e lumbis, et pedibus posticis sumpta saporis gratia aliis bene multis carnibus praestat, facile concoquitur, et valde alit. Nec admodum discrepat ab huius carne illa, quam suppeditat *Ceruus elaphus* non annosus, aut eius foemina iunior, cum et ipsa grate sapiat, probe macerata non aegre soluatur, et satis nutriat. Caro autem, quam *Lepus timidus* habet grati saporis, et facilis coctionis habetur, dum contra despiciatur, quam *Lepus cuniculus* praebet. Etsi enim haec ob maiorem mollitiem illa citius queat dissolui, diuerso donatur sapore, plerisque ingrato, et parcius alit, vnde vix, quibusdam, et quidem perraro cedit in cibum. Rarius adhuc, et nonnisi ab egenis caro editur siue *Felis cati* domestici, quae ad leporinam accedere dicitur, siue *Erinacei europaei*, quae autumno magis sapit, et stomacho minus grauis censetur, siue *Vrsi meles*, aut taxi, licet, vt dixi (§. 212.) post vindemiarum tempus grata, et suillae similis quibusdam habeatur.

225. De mammalibus porro loquens, e quibus cibus desumitur, *Murem porcellum* non praeteream, cum eius carnem rite paratam, quasi suillae saporem habeat, non desint, qui in Insubria comedant; nec *Sciurum glirem* omittam, quem montium incolae non sine voluptate, et sine noxa comedere mihi constat: quem etiam non latet edules qualitates *Sciuri vulgaris*, quem rustici, cum non raro occurrat, et alpicolis praestet cibum, interdum attingunt. Dicam etiam *Canis vulpis* iunioris autumno captae carnem tenuioris sortis villicos non despicere, dum contra despiciunt fere omnes *Mustelae martis*, cuius carnes foetidissimo halitu, atque ingrato sapore donantur. Caeterum ignoro, num alicubi praestet Insubriae rusticis alimentum *Mustelae* ea species, quae in gallinariis noctu furtim irrumpens cohortales gallinaceas aues enecat sanguine,

quo vno delectatur, exsucto, quaeque cum *erminea* confundi solet, etsi forte ita differat, vt *Mustelae* species potius, quam varietates augere videatur.

226. Duo praeterea animalia fera omitti non debent, quae in Insubricis montibus Rhaetiae, Heluetiaeque propioribus venari solent, ac capta cibo apta fiunt, nempe *Capra rupicapra* et *Vrsus arctos*. Porro carnes rupicaprae probe maceratas grati saporis, et sat facilis digestionis euadere quoties firma cellulosa, qua vinciuntur musculi, detracta sit, mihi auctor exstat Ill. et Cel. Collega Rezia, qui etiam retulit Cauerniones, aliosque populos Lario proximos captorum vrsuum carnes, antequam coquant, in aqua perfluente detinere, atque hoc modo foetido halitu eas priuare, ac digestioni idoneas ita reddere, vt sine ventriculi onere edi possint, nec eo praeparationis genere indigeant, vt sapidae fiant, et stomacho aptae, cui eaedem subiiciuntur, quoties diuitum mensas raritatis potius, quam saporis caussa ornant, quas vrsi pernae, vt notum est, melius opulentant.

227. Ea deinde mammalia, quae in lacubus, aut in mari viuunt, essent recensenda, vt *Phocae*, *Tricheci*, *Balenae*, *Delphinii*, et similium variae species, quatenus edules carnes habent. Verum cum haec, si *Mustela lutra* excipiatur, cuius caeterum caro ob duritiem, et subrancidam qualitatem nec facile soluitur, nec salubris succi est, ad nos neque aduehantur, neque facilis coctionis, et salutaris alimenti iudicentur, eadem silentio praeteream.

228. Dicam igitur de auibus tum Insubriae propriis, tum nobis visitatis, quas in eos ordines diuidam, quibus Linnaeus vniuersa eorum genera complexus est. Illa porro discrimina, quae de animalium cibis generatim posui (§. 210., et seq.) in istis etiam existunt; ac proinde in vniuersum verum est, carnes auium, quae granis, aut baccis victitant, optimi succi esse,

esse, et facilis coctionis; quae insectis vescuntur minus teneras esse, et sapore, etsi in nonnullis exquisitus sit, paullo acri donari, et facile putrescere; quae rapaces, vel ex aliis auibus, vel ex animalium reliquiis escam sibi comparant, magna ex parte succum aegre soluendum, et insalubrem habere, nec odore, aut sapore plerisque probari; ac quae piscibus viuunt ob duritiem difficulter concoqui, pisces sapere, et rancidulas esse. Neque generatim alienum est argumentum caeteris neglectis, ex colore, quo musculi gaudent, atque ex vitae ratione desumptum, quam aues seruant, ad eorum qualitates eruendas. Nam quo magis albicant carnes, meliores sunt, et facilius soluuntur, tum aues in cohortibus enutritae, vtpote melius, pleniusque altae, iis plus reficiunt, quae huc illuc vagando pabulum quaerunt. Cuiuscumque vero generis aues sint, mammalibus quidem minus nutriunt, sed faciliori coctione, et gustus iucunditate iisdem antecellunt.

229. Inter *Accipitres*, et tria ad huiusmodi ordinem spectantia genera, quae *Falco*, *Strix*, et *Lanius* appellantur, veniunt non paucae quidem auium species, quae in Insubria occurrunt; at ipsae carniuorae cum sint ob modo adductas causas nec salubribus, nec iucundis alimentis accenseri solent, nec mensae instruendae inseruiunt. Verum cum nonnulli sint, qui eiusmodi aues, sine vllo sanitatis discrimine assumant, atque in iisdem iunioribus, maximeque e nido detractis scitulum saporem inueniant, abs re non erit nobis magis indigenas indicasse, atque eas speciatim, quas sine damno edi tum iamdiu certis obseruationibus cognoueram, tum ex iis nuper accepi, quas Cl. Vincentius Rosa Musaei Ticinensis rerum naturalium Custos diligentissimus instituit, eas sine vllo fastidio assumens. Harum quippe auium qualitates, quoad cibum, vt rectius cognosceret, eisdem vesci voluit. *Fal-*

conis ſpecies magis vulgares ſunt *melanaetus*, *pygargus*, *miuus*, *gyrfalco*, *buteo*, *palumbarius*, *niſus*, et *tinnunculus*, in quarum carnibus, quoad ſaporem, et modum coctionis, nullum diſcrimen intercedere videtur. Ex *Strigis* genere *paſſerina*, *ſcops*, *vlula* et *aluco* ſolae ſpecies ſunt, quas non raro ſine noxa comeſtas fuiſſe mihi conſtat. Ex *Lanio* vero *collurio*, et *excubitor* carnes praebent, quae accipitribus caeteris minus aegre concoquuntur, imo quibusdam gratae videntur.

230. Minus inuſitatae ſunt aues, quae ad *Picas* pertinent, quoniam plerasque plane ſalubres vulgus habet, imo quasdam concoctu faciles, et gratas exiſtimat. Nam ex *Corui* genere carnes *coronis*, *monedulae*, et *picae* probe maceratae antequam coquantur, nimia amiſſa duritie, ſine graui ſtomachi labore aſſumit, ac ſapida ex eisdem conficit iura, nec deſpicit *cornicem*, quae diutina ſub niue maceratione, aliisque modis ingratum halitum exuerit, quamquam huic, vt palato, et ſtomacho magis aptum, *glandarium* anteponat. Num vero *caryocatactes*, et aliae, ſi quae ad nos veniunt, corui ſpecies comedantur, ignoro. Me potius non latet pullos, vel nondum adultas, aut, vbi adoleuerint, fructibus pinguefactas aues, quae *Oriolus galbula*, *Cuculus canorus*, et *Iunx torquilla* vocantur, digeſtioni non officere, ac ſuaues plerisque videri. Sed officiunt generatim ob duritiem ſtomacho, nec guſtui arrident, apud nos ſaltem, ſi *Sittam europaeam*, et *Certhiam familiarem* vtramque non vetuſtam excipimus, *Picus viridis*, *martius*, et *maior*, *Alcedo iſpida*, et *Vpupa epops*, vt rariores picas omittam.

231. Vſitatiſſimae porro ſunt *Anſeres*; atque inter eas *Anatis* ſpecies, maximeque domeſticae, quae non piſcibus, non inſectis, aliisue animalibus cibis altae, et reliquis ſuapte viuentibus minus exercitatae, ſolubiliores carnes ſiſtunt. De anatis autem indigenis ſpeciebus dicturus, earum maximam nempe *Cygnum*

vel

vel cygnum praeterire non possum, quia frigidis longinquis regionibus relictis, ob maiorem hyemis asperitatem, vsque ad Padi littora interdum venit, imo vsque Ticini; quemadmodum duobus ab hinc annis speciatim accidit. Plures siquidem cygni turmatim in aquis huius amnis innatantes capti fuerunt, qui mensas opulentarunt. Tunc porro facile fuit cognoscere minus vere cygni carnem, ob tenacem succum, fibrarumque duritiem, concoctu difficillimam iudicari, cum post pellem detractam rite cocta cibum anseris simillimum praebuerit, imo sapidiorem, vbi caro ex pectore erat desumpta. *Anatis* vero binae illae species, quae *anser*, et *moschata* dicuntur, ob tenacem duritiem nec digestioni, nec salubri nutritioni accommodatae a plerisque diaetetices scriptoribus censentur; quibus ipse subscribere non possum, reputans vtramque speciem in cohortibus cerealium granis apud nos optime saginatam, et pinguem, vbi inter coquendum nimiam pinguedinem exuerit, nec difficilis digestionis, nec insalubris succi dici posse. Caeterum iecur altilis anseris farctilibus quibusdam peramplum factum, et lacte mulso innutritum, suauissimum cibi genus antiquioribus Romanis valde probatum, plurimi alimenti est, atque ob bonitatem plerisque animalium cibis antecellere vel hodie censetur; ast ob nimis pinguia fartilia ventriculo minus amicum SPIELMANNUS recte pronunciat *).

232. In eodem praeterea anatis genere *boschas* domestica ad anseris qualitates accedit, imo apud nos granis enutrita facilioris coctionis, et melioris saporis esse solet, dum contra ipsa *boschas* fera, quae digestu facilior, alibi censetur, minus tenera est, nec semper sapidior. Edi autem raro solent quae indigenae sunt anatis species non domesticae, vt *acuta*, *penelops*, *clan-*

*) Mat. med.

clangula, *circia*, *clypeata*, et *fuligula*, quibus tamen ingratum saporem, et odorem, atque alienam stomacho, ac nutritioni qualitatem quidam perperam tribuunt; cum sanus, validusque stomachus earum carnes sine molestia resoluat, ac rite praeparatae non male sapiant. Illa potius, quae *tadorna* dicitur, ingrata, et stomacho aliena mihi videtur; dum contra arbitror scituli saporis, non difficilis coctionis, et boni sucei illam, quae *crecca* nuncupatur. His accedunt tres species *Mergi* nempe *merganser*, *albellus*, et *minutus*. Sapore piscino, et rancido displicet *Colymbus* tum *immer*, tum *vrinator*; ac pari modo *Larus cinerarius*, dum limum, et piscem redolet, ac sapit, atque aegre concoquitur.

233. Illae autem aues, etiam ad *Grallas* referuntur, non solum discrimina in carnibus exhibent a generis dissimilitudine orta, verum etiam profecta ab ipsa specierum varietate. Quae quidem auium, quarum aliae insectis, aliae piscibus viuunt, discrimina, quoad saporis indolem, et facilitatem coctionis non leuia existunt. Nam ex *Ardeae genere maior*, *purpurea*, *minuta*, *nycticorax*, et *garzetta* nimis tenaces carnes habent, vt sine molestia concoqui possint, ac gustui non arrident; *stellaris* vero, et *cinerea* nondum aetate profectae, maximeque pulli opportuna coctione palato, et stomacho idonei euadunt; tum *grus*, quam a Romanis antiquitus magni factam valentissimi cibi Celsus iudicauit, non vetusta, et rite cocta sine vlla amaritie sapit, nec digestu difficillima est, vt quidam tradiderunt; tum ipsa denique *ciconia*, quam captam, atque ad mensam translatam ipsis Romanis magis, quam gruem placuisse refert Plinius, reliquis ardeis mihi quoque concoctu minus difficilis, atque ob gratum saporem non despicienda videtur, eoque magis, quo iunior est.

234. Ad

234. Ad *Scolopacis* autem genus quae pertinent ſpecies Inſubriae propriae, ſi *arcuatam*, et *limoſam* excipimus, quae bonitate aliis concedunt, reliquae, ac ſpeciatim *ruſticola*, *gallinago*, *gallinella*, quae menſas prae caeteris conquiſitae opulentant, *lapponica*, et *calidris* exquiſite ſapiunt, nec difficulter digeruntur. *Tringa ocrophus* egregii pariter ſaporis eſt, nec difficilis coctionis, atque huic bonitate aemulatur *arenaria*, et *cinclus*, qui maxime prope Larium capitur; dum *vanellus* aliis locis melior ſuauitate ſaporis, et digeſtionis facilitate videtur, quam hic loci ſit, vtut ſapiat, nec ſtomacho grauis dici debeat. *Charadrius* item vnam ſpeciem ſiſtit, nempe *pluuialem*, eximie ſapidam, alteram vero, quam *oedicnemum* appellant, minori ſuauitate donatam, minusque ſolubilem. *Fulica* porro *aterrima*, niſi iunior admodum ſit, dura nimis eſt, et nimis piſces redolet, ac ſapit, dum *choropus* ſapidior eſt, et minus difficulter concoquitur. Denique *Rallus*, ſiue *crex*, ſiue *aquaticus*, ſiue *porzana*, ſiue *gherardina*, ſiue *minima* tantam gratiam ſaporis, et ſucci alibilis ac facile ſoluendi bonitatem prae ſe fert, vt inter menſae praetioſas dapes habeatur.

235. Interea caeteris auibus ſalubriores cenſendae *Gallinae*, maximeque illae, in quibus molliores ſunt carnes. Porro *Phaſiani galli domeſtici* familia variae qualitatis carnes ſiſtit. Etenim caro pulli delicatiſſima, et omnium tenera eſt; galli, aut gallinae iunioris, tum caponis, tum eiusdem gallinae, cui ouaria fuerint mature auulſa, pinguior, tenerior, et praeſtantior ſapore eſt carne ſiue galli adulti, ſiue gallinae, quae oua pluries excluſit, quae duo minus ſalubrem ſuccum nutritium vehunt, atque ob duras, et tenaces fibras difficulter concoquuntur. Neque minus probandam coctionis facilitate, et optima ſucci indole carnem praebet, imo ſuauiorem *Phaſianus colchicus*, etſi apud nos tum in diuitum cohortibus natum, altumque

phaſia-

phasianum, tum in Vallecuuia captum, vel ex Rhaetia allatum minorem gratiam saporis patefacere, quam alibi ostendat, minime sit denegandum. *Pauo cristatus*, seu pauus, aut pauo, licet hodie rarius, quam alias fieri consueuit, in Insubria enutriatur, nec tanti fiat, vt habuerunt olim Romani, qui pauonias carnes praetiosioribus epulis annnmerabant, iunior vbi sit, tenerum, et delicatum cibum largitur. *Meleagris gallopauo*, seu gallus indicus non annosus, atque imprimis castratus, iure apud nos crebro editur, quia iunior, aut altilis sapidam, non aegre solubilem, et boni succi, ac non mediocris alimenti carnem praebet. *Numida* vero *meleagris*, cum eius caro indici galli carne non praestare iudicetur, aut ad huius qualitates, quam proxima sit, non omnibus Insubriae locis, nec frequenter enutritur. *Tetraonis* vero praestantioribus speciebus Insubria non caret, imo eas habet teneras textura, sapore suauissimas, optimo succo plenas, ac concoctu faciles, et stomacho leues; nam *perdix*, et *coturnix* in quauis prouincia copiose occurrunt, tum *vrogallus*, *francolinus*, et *ruffus* in montibus, et vallibus Rhaetiae, Heluetiaeque finitimis venantur.

236. Quamplurimas denique edules aues *Passerum* ordo complectitur, quarum pleraeque conquisitissimis cibis accensentur. *Columba oenas*, seu domestica columba, nisi aetate duram acquisiuerit carnem, ac praesertim pullus, grate sapit, nec stomacho grauis est, ac bene alit; cui quidem *palumbus*, nisi pullus sit, ob carnis duritiem, et minus contemperatam succi nutritii indolem cedit, quemadmodum ei cedit, etsi sapidior sit, *turtur;* cum qua *marginatam*, et *risoriam*, quae pariter nondum adultae, et pingues gratae sunt, ac bonae digestioni idoneae, vulgus perperam confundit. *Alaudae* vero vulgatiores, quas habemus, species *arborea*, *cristata*, *aruensis*, *triuialis*, *campestris*, et *spinoletta* quanti, maxime autumno, qua tempestate pinguiores

guiores sunt, ob eximium saporem, et non difficilem digestionem faciendae sint, nemo fortasse est, qui ignoret. *Sturni* autem duae species *vulgaris*, et *cinclus*, quae ob duram, et amaram carnem vilioribus annumerantur auibus, iuniores vbi sint, atque insectorum loco vuis victitarint, molleſcunt, et grate sapiunt. Inter *turdos*, sapidos omnes, facile soluendos, et bonae nutritionis praestantiores apud nos iudicantur, *muſicus*, *iliacus*, et *pilaris*, exquisite sapidi cum pingues iuniperi baccas ediderint, quibus tamen saporis gratia, ac reliquis qualitatibus magis accedunt reliquae species, *saxatilis*, *visciuorus*, *merula*, *torquatus*, et *roseus*, quo iuniores sunt, et quo salubri magis esca enutritae pinguiores euaserint.

237. Hisce suauitate saporis euidenter concedunt *Loxiae* species, quae *chloris*, et *coccothraustes* nuncupantur, ac magis adhuc *curuiroſtra*, et *pyrrhula*, etsi sapidae sint, nec difficulter concoquantur, maxime autumno, quo tempore pingueſcunt. *Emberiza* vero *hortulana*, *citrinella*, et *cia* ob delicatissimam carnem, mollem, et pinguem, gustui valde incundam in mensae deliciis esse iure solent; dum contra parui fit *milaria*, quae tamen grato sapore non caret. In *Fringillae* genere non leue discrimen animaduertitur; nam *coelebs*, *spinus*, et *serinus* grate sapiunt, facile soluuntur, et salubrem chylum generant; *montifringilla*, et *linaria* earum qualitates non attingunt, atque ab eisdem magis adhuc distant, *montana*, et *domestica*, quae etiam pingues paullo duras carnes habent, nec succo sat mitis indolis donantur. Caeterum domesticae pulli admodum teneri, solubiles, bene nutrientes, ac prorsus salubres hic loci probatissimi auide sumuntur. Gratus etiam inest sapor in *Muscicapa atricapilla*, atque in duabus aliis speciebus, quas Linnaeus non descripsit, atque ad hoc genus referendas arbitror. Quae item in montibus aucupantur *Motacillae* species *salicaria*, *ficedula*,

dula, *atricapilla*, *alba*, *flaua*, *modularis*, *phoenicurus*, *nubecula*, *trochilus*, *troglodytes*, et *regulus*, omnes sane plus, minusue exquisito pollent sapore, facillimae digestionis sunt, ac salubre alimentum suppeditant. Hae igitur aues studiose quaeri solent, dum contra, vtpote non multi saporis, *Parus maior*, *coeruleus*, *palustris*, *atricapillus*, et *caudatus* fere negliguntur. Quod autem ad *Hirundinis* genus attinet, *apus*, qui duras nec gratas carnes adultus habet, iunior valde sapidus, et solutu facilis non parum expetitur; dum contra ob duritiem raro cedunt in cibum *riparia*, *rustica*, et *vrbica*, quae tamen iuniores, et pingues non mediocriter sapiunt. Denique *Caprimulgus europaeus*, qui nec male sapere, nec difficulter concoqui dicitur, raro edi solet.

238. Hactenus de auibus; nunc progrediar ad pisces, quibus mensae instruuntur, ita considerandos, vt illa, quae ad cibarium eorum vsum attinent, tum generatim, tum speciatim proponantur. Plura enim, et in istis animalibus occurrunt, quae discrimen constituunt, quoad saporem, digestionem, et modum, ac copiam nutritionis, quaeque praesertim a loco, pabulo, aetate, et praeparationis genere pendere a plerisque censentur. Sunt enim, qui ab istis manare in piscibus, et amphibiis discrimina denegent, ac speciatim fieri ab aquis, atque a solo quod ipsae perfluunt. Verum, qui denegant minime vident, quod est nobis experientia euictum, fluuiatiles pisces eo magis sapidos esse, ac salubriores, quo celerius aquae mouentur, atque lacustres sapore, et salubritate fluuiatilibus vix, ac ne vix quidem, cedere qui magnis in lucubus viuunt, quorum aquae saepe ventis validissime agitantur; quemadmodum in Verbano, et Lario praesertim euenit. Nam qui minoribus in lacubus lentissime motis reperiuntur, tum maxime in coenosis, limo obsitis, et stagnantibus aquis degunt, deterioris notae carnes fiſſunt,

sistunt, nempe limosi ingrati saporis, laxae compagis, ac mucidi, et parum salubris alimenti, nec stomacho idonei. Quantum etiam discrimen ab aquarum natura tum in piscibus, tum in amphibiis exsurgat, non obscure declarant ea genera, quae ex mari in maiores fluuios cum descendunt, atque in iisdem diu inhaerent magis delicatum, facilius soluendum, ac mitioris indolis cibum largiuntur.

239. Alimenti quoque vim, et naturam non exiguum in piscibus afferre discrimen ex eo deducunt, quod animaduersum sit fluuiatiles pisces prope vrbes captos, quas flumina alluunt, aut lacus attingunt, pinguiores esse. Ex hac proinde causa vulgus explicat, vt alia mittam exempla, cur in ea Larii parte, quam Nouocomum, cum duobus suburbiis Coloniola et Vico, loci amoenitate, et perflatu aestiuo valde celebri, lunato sinu influentem amplectitur, *Salmo trutta*, pinguior sit, quam aliis Larii locis expiscetur. Tradunt quoque plerique inter maritimos edules pisces, illos qui in locis rupibus plenis alimentum sibi quaerunt, salubriores iis esse, qui in maris fundo morantur, aut in oris, et litoribus degunt, quia impurum victum sibi comparant. Verum ista discrimina, nec certa, nec perpetua, nec tanta mihi videntur, vt negligi non debeant.

240. Neque ego pluris faciam differentias, quas in piscibus ex aetate, et colore plerique constituunt. Nam etsi concedam ob aetatem vel in piscibus fibras obdurescere, proindeque carnes vetustiorum solutu difficiliores euadere, non licet generatim in eisdem aetatem determinare, ac mediam, quam magis idoneam habent, definire, tum in iis, in quibus potest constitui, iam est obseruationibus euictum, non tanti esse faciendam, quanti in auibus, et quadrupedibus aestimatur. Quod vero colorem respicit, licet vltro

conce-

concedam Ill. Gregoryo *), cuius ego auctoritati plurimum defero, generatim piſces albida carne praeditos, ſiue fluuiatiles, ſiue marini ſint, facilis coctionis, et ſalubris ſucci eſſe, qui vero rubra carne gaudent, dum iisdem plenius nutriunt, ob ipſius carnis naturam, et magnam olei copiam difficilius digeri, licet, inquam, haec omnia concedam, moneo nihilominus in piſcibus tum fluminum, tum lacuum Inſubriae hanc regulam nec multi, nec tuti ſemper vſus eſſe, cum non paucis exceptionibus obnoxia ſit.

241. Maius autem in piſcium carnibus diſcrimen ex varia praeparatione fit, varioque condimenti genere, quemadmodum ſequenti capite dicam. Nunc potius praeſtabit quaeſtionem attingere, quam de vi piſcium nutriente olim a quibusdam diaeteticis inſtitutam nuperrime inſtaurauit non inutiliter Cullenius. Porro piſces alibili gelatinoſa, mucoſa, oleoſaque materie, quae in reliquorum animalium carnibus praeſto eſt, non carere, eademque nutrire quisque fatetur; aſt interim quaeritur num eiusmodi carnes minus nutriant, minusque vires reficiant quadrupedibus, et auibus, quemadmodum vetuſtiſſimi iam medici tradiderunt. Qui minoris nutrimenti putant, ſuam opinionem tuentur eorum exemplis, qui cum reliquarum carnium loco piſces ederent, ſe debiliores eſſe faſſi ſunt, tum ea potiſſimum obſeruatione, qua conſtat piſces minus olei continere, quam generatim quadrupedum carnes vehant. Qui vero contrariam ſententiam cum Cullenio ſequuntur, obſeruant piſcatores, etiam vbi vno piſcium genere victitent ſat firmi corporis eſſe, atque oleum in quibusdam ea copia ineſſe, vt nutrimentum non exiguum afferat.

242. Ego

*) Conſpect. Med. theoret. 3. edit. Edin. §. 1020.

242. Ego autem neque ita addictus alterutri opinioni sum, neque ab vtraque adeo abhorreo, vt mediam quodammodo inter eas sententias non amplectar, quae diuersas conciliet, ac vero quam proxima sit. Quoties enim animaduerto nutrientem gelatinam, quam pisces habent, et tenuiorum partium esse ob maiorem aquam intermixtam, quam in aliis animalibus sit, atque aliunde quorundam piscium principia, firmam carnis compagem, solubilem indolem, ac copiam olei, et gelatinae, aliaque eiusmodi considero; toties arbitror, omni contentione sublata, fateri oportere, non omnes pisces esse mediae materiae, si cum veteribus malumus loqui, sed in ipsis quaedam genera existere, quae valentis naturae cibum largiantur. Quae enim pinguedine abundant, et firmas habent carnes, vbi a stomacho penitus conficiantur, ita alere, viresque restaurare censeo, vt nutrientem quadrupedum quorundam facultatem attingant, et horum instar alcalescere, irritare, ac non tam facile difflandam nutritiam materiem suppeditare, dum pisces alios existimo, qui diuersas proprietates habent, animalibus reliquis minus copiosum, et validum nutrimentum afferre. Videtur quippe mihi id satis esse affirmare, cum vel ipsa experientia euincat in hac re nihil esse tam perpetuum, vt generale praeceptum tuto possit constitui.

243. Praestabit idcirco singulas piscium species, quae nobis suppetunt, atque in cibum cedunt, ita rimari, vt cuiusque nutrientes qualitates certius innotescant. Porro antecedat caeteris piscibus, quos Insubriae amnes, et lacus ferunt, ille, qui omnibus gustus suauitate antecellit, nempe *Salmo trutta*. Haec enim species salmonis, siue subrubra gaudeat carne, cuiusmodi est in Verbano, et Lario capta, siue albida donetur, vt illa quae ex Ticino, et Abdua educitur, cuiuscumque ponderis sit, (ad ingentem quippe magnitudinem interdum peruenit) perpetuo delicatissimi sa-

poris est, facilis digestionis, ac boni, pinguis, et copiosi alimenti. Altera vero species salmonis *thymallus* dicta, quae in illis pariter aquis reperitur, ob facilem digestionem, atque ob egregium, et delicatum succum probatissima est, maxime ab iis, qui tractae molliorem pinguioremque carnem fastidiunt. Ab hisce vero piscibus non differunt salmonis species molles, et sapidae, quae in aliis Insubriae minoribus fluuiis reperiuntur. Neque ab istis, quoad vim, et quoad modum nutritii succi, ac digestionis differre plerisque videntur, imo sapidiores iudicari solent duae illae salmonis species, *carpio*, et *vmbla* vocatae, quae ex Benaco lacu ad nos interdum aduehuntur.

244. Hisce piscibus saporis gratia accedit sane *Perca fluuiatilis*. Quod enim nonnulli perhibent, hanc speciem, quam vnam reuera habent Insubriae aquae, ob subduram carnem nec cito resolui, nec satis gustui gratam esse, in ea non obtinet, quae in fluuiis, et lacubus eiusdem prouinciae valde motis capitur. Albida siquidem cum facile solubili, ac saluberrimo succo praedita sit, et melioribus piscibus annumeratur, ac plerisque in deliciis est. *Esox* autem *lucius* tam boni saporis est, salubris succi, et facilis concoctionis, vt frequentissime edi soleat; si tamen mediae magnitudinis sit; nam vbi piscis iste aetate nimium excreuerit ob duram, et tenacem fibrarum texturam nec cito, nec sine stomachi onere dissoluitur.

245. Ad salubres etiam nostrates pisces valde vsitatos nec saporis gratia destitutos ii pertinent, quos amplissimum *Cyprini* genus complectitur. Omnibus corpore maior est *Cyprinus carpio* piscis sane, qui grate sapit, salubre, nec exiguum alimentum praebet, et non aegre concoquitur, dummodo mediocri magnitudine gaudeat, cuiusmodi est, qui in Insubriae maioribus, minoribusque amnibus capitur, cum secus ob tenaces fibras non facile resoluatur, et stomachum

paullo

paullo oneret. Idem dicendum est de *tinca* e puris nec limosis expiscata aquis quae gustui est magis iucunda. Qui autem cyprinus *barbus* dicitur, parum vtique sapit, sed tam facilis coctionis est, et nutritiam materiem tam mitis indolis habet, vt salubrioribus piscibus annumeretur. Salubris quoque succi, et facilis digestionis sunt aliae *Cyprini* species, *idus*, *mammillaris*, *orphus*, *vimba*, *rutilus*, *grislagine*, *alburnus*, *leuciscus*, *phoxinus*, *aphya*, atque aliae, si quae forte in Insubria minus vulgares *Cyprini* species praeter istas suppetunt; ast harum aliae vt spinis nimis refertae, aliae vt gustui non satis iucundae non multi fiunt, nec diuitum mensas exornant in tanta, quae adest, sapidiorum piscium copia, aut solummodo admouentur, cum recens excusae adhuc piscículos referunt.

246. Gustui autem suauis est ea *Clupeae* aut iuxta alios *Cyprini* species, *agone* dicta, quae in maioribus lacubus Insubriae capitur, Verbano scilicet, et Lario, quae sane siue maior, siue minima sit, albida, mollis, salubri succo plena eo suauior, et nutrientior est quo recentior, et pinguior, imo suauissima existit, vbi eadem ex aqua, quam cum vita relinquit, vix educta cibo paretur. Neque in ipsa rite condita, vt diu seruetur, delicatus sapor desideratur. Nec *Cobitis barbatula* grato sapore distituitur, quo potius caret *taenia*, quae etiam concoctu difficilis parui fit. Magis vero probatur *Cottus gobio*, qui sapidi, et boni succi est.

247. Bene etiam apud nos sapit inter pisces vsitatissima *Muraena anguilla*, quae pinguis non parum nutrit, quin viscidum, tenacem, et rancescentem generet chylum, vt de anguillis, quae aliis in regionibus praesto sunt, nonnulli tradunt. Iis tantum, vt passim video, anguillae officit cibus, qui oleosa non ferunt, aut non satis conficiunt, et digerunt, aut qui in stagnantibus, limoque obsitis aquis eductam gustui etiam iniucundam, vel nimis pinguem, nimiamue corporis crassitiem

sitiem habentem assumunt. Quanti autem natura loci, quem pisces incolunt, vim habeat in eorum qualitatibus immutandis, si etiam mittimus anguillam, luculentissime ostendit *Gadus lota*, quae in stagnis haerens gustui inuisa, stomacho parum idonea, atque insalubris iudicata, in Lario lacu capta, vel e caenosis aquis in puras piscinas deportata ita immutatur, vt probati saporis, non difficilis coctionis, et bene nutrientis cibi euadat; dummodo etiam curetur, vt, quo tempore pinguior est, assa sumatur.

248. Pisces autem maritimos, quod respicit, etsi quam plurimi edules sint, eos solummodo attingam, qui vel recentes, vel saliti, aliisque rationibus praeparati, et conditi, vt seruari a putredine possint, ad nos advehi solent. Horum vero piscium qualitates attingam, vt homini licet, qui in mediterranea, atque a mari sat dissita regione versatur, ad quam neque omnes, neque satis recentes pisces Adriatici, et Ligustici maris deportantur, quique idcirco eas solum potest referre proprietates, quas hic seruant: quod tamen nobis satis est. Inter recentes huc aduectos illa *Labri* species, quae *branzino* vulgo dicitur, magni fit, quia reuera saporis gratia, coctionis facilitate, ac nutritii succi natura multis thoracicis piscibus praestat. E *Scombri* genere raro *scomber* adfertur, qui mollis, et digestu facilis, ac sapidus est, frequentissime vero *thynnus*, aut *thunnus*, qui delicate sapit, bene concoquitur, et alimenti vi mammalium terrestrium carnibus non cedit. Nec qui membratim caesus, coctus, ac modico addito sale in oleum oliuarum inditus huc mittitur, (qui plus sapit, ac valentius alit), stomachum onerat, nisi nimium sumatur, aut partes vorentur, quae ad firmiores musculos pertinent, cum sane admodum siccae, et durae aegre resoluantur.

249. Sapore vero excellunt, fibrarumque teneritate facilis digestionis sunt, ac salubri succo affatim nutriente

triente donantur *Pleuronectes rhombus*, et *solea*, *Mullus surmuletus*, et *barbatus*, *Gadus nasellus*, *Xiphias gladius*, *Trigla hirundo*, et *cuculus*, ac *Zeus faber*, ne modo commemorem *Cottum gobionem*, *Triglam lucernam*, *Spari* varias species, aliosque pisces, qui aut raro huc advehuntur, aut palato minus grati sunt, aut salubriter non alunt, aut parum succulenti non multum reficiunt. Praeterire tamen non licet illam *Clupeae* speciem, quae *sprattus* dicitur, cum abunde tota hyeme ad nos aduehatur adhuc recens, et pingui teneritudine, ac valde sapida qualitate donata admodum probetur. Neque illud praetereundum est tenuissimum pisces genus, quod candidum *Aphya*, vel *apua* a veteribus dictum ex Ligustico mari ad nos recens adfertur, quoniam molliculum, et delicatum facile, atque in integrum soluitur, multi et salubris alimenti est, riteque conditum gustui suauissimum euadit.

250. Ad eos etiam pisces, qui exsiccati, vel fumati, aut saliti, vel cocti, et aceto, alioue embammate conditi hic loci comeduntur eadem spectat *Clupea sprattus*, quia exsiccata, vel condita delicati adhuc saporis, et facilis digestionis cum sit, sola auide editur; imo crebrius *Clupea alosa*, aut *Clupea encrasicolo*. Haec siquidem muria condita, etsi ad appetitum excitandum cum oleo, et aceto cruda interdum sumatur, crebrius tamen cibis condiendis inseruit. Porro reliqui pisces maritimi saliti, et praeparati qui hic comeduntur, non omnibus gratum, facile concoquendum, et salubre obsonium queunt afferre. Etenim *Muraena helena* siue arte, et coctione muriam exuerit, siue cocta cum aceto condita sit, palato potius, quam stomacho idonea est; *Salmo salar*, inter coquendum, aut non satis mollescit, et salem exuit, aut exsuccus, atque insipidus fit; ea item *Scombri thynni* pars, quae salita venalis suppetit, eodem vitio laborat; *Clupea harengus* sale, et fumo duratus ob duritiem aegre digeritur.

ritur, atque vbi etiam conficiatur, ſiccus admodum parum nutrit; illae vero *Gadi* notiſſimae ſpecies, quae *morhua*, et *merlucius* vocantur, ſalitae, atque exſiccatae quacumque arte cibo aptae fiant, validum, vt conficiantur, ſtomachum exigunt, quemadmodum condimentis indigent, vt ſapiant.

251. Iſtis accedant ii piſces, quos amphibios minus recte vocatos fuiſſe quidam inter nuperrimos ſcriptores exiſtimant. Huc pertinet piſcium nobiliſſimus *Acipenſer ſturio*, quem Romani poſt conſequutum orbis imperium mollicularum eſcarum dulcedine capti tanti fecerunt, vt a coronatis miniſtris in conuiuiis inferendum curarent. Etenim qui in nimiam magnitudinem non exceſſit, atque in maioribus fluuiis, quos ex mari ſubit, aliquot menſes exegit, neque in iisdem nimiam pinguedinem aſſumpſit, ſuauiſſimum cibum largitur, qui coctionis facilitate, atque alimenti copia, eiusque ſalubri natura vitulinam carnem referre communiter iudicatur. Quas quidem dotes cum acipenſer maxime habeat in Pado, qua parte Inſubriam alluit, et Ticinum, Abduamque recipit; ita euenit, vt in eo, tum in iſtis, ſi quando reperitur, expiſcatus omnium praeſtantiſſimus ſit, ac praetioſioribus dapibus apud nos annumeretur. Nec delicato caret ſapore ille ex acipenſe exſectus tendo, qui a capite ad caudam vsque porrigitur, non grauibus ſane cibis accenſendus, vbi ex iuniori, et craſſo piſce deſumptus pingui teneritudine gaudeat. Nec oua parum expeti ſolent, quae hic loci exſiccata, et cocta iusculis, vt delicatiora euadant, adiiciuntur. Nec denique eiusdem acipenſis lactes menſarum delicias ſilebo, quibus nullum cibi genus delicatius eſſe diaeteticorum quidam exiſtimant.

252. Silebo potius reliquos piſces ad amphibia relatos pauciſſimos excipiens. Etſi enim plures maritimis populis ſuppetant, generatim tamen ob duras carnes, ac non ſatis probatum ſaporem vilioribus annumerantur

rantur cibis; tum qui minus despiciuntur, parum sapidas, et aegre digerendas carnes habent: quemadmodum videmus in iis, qui interdum ex *Raja*, et *Squalo* desumpti ad nos vsque deportantur. *Petromyzon* autem *fluuiatilis* editur sane; ast stomachum onerat, aegre resoluitur, nec salubriter alit. Qui vero *Petromyzon branchialis* hic loci abundat, et crebro editur, atque vbi limosum saporem exuerit, maximeque vbi in lacte vitam amiserit probe frixus plerisque in deliciis esse solet, ob tenacem naturam vix sine molestia, aut stomachi onere ab iis concoquitur, qui tenacia, et tarde digerenda sustinent, penitusque conficiunt.

253. Haec de piscibus; modo paucissima de animalibus *amphibiis*, quia inter ista duo tantum genera nobis suppeditant cibum, nempe *Testudo*, et *Rana*. Ex testitudine edules nobis sunt *orbicularis*, seu vulgaris, et *mydas*, seu marina, quarum quidem illa crebro, haec, cum non semper aduehatur, raro editur. Porro *orbicularis*, e cuius sanguine apexabones confecti, et iecuscula in deliciis esse solent, capite, cauda, vngulisque reiectis, rite cocta, apteque condita delicatum, ac vitulinae instar carnis nutriens, non aegre concoquendum, neque insalubre edulium praebet. Nec ad ea quae huc adfertur marina testudo differt, si mittimus minus delicati saporis esse, ac minus facile digeri, etsi concocta valentius alere dicatur. *Rana* vero siue *esculenta*, siue *temporaria* sit, quae hic loci pinguis, et optima delicate sapit, ac vulgo salubrioribus accensetur cibis, etiam si ita coquatur, vt fluxilem gelatinam non demittat, neque exsucca euadat, nunquam multi nutrimenti est, aut cohortalium pullorum carnibus iure potest comparari, quemadmodum diaeteticorum quidam tradiderunt.

254. Inter *insecta* autem *Cancri* genus solum est, quod duas in cibum receptas species nobis largitur,

quarum vna *Astacus* est, altera *Gammarus* nuncupatur. Illius caro grate sapit, et pinguis vbi sit, atque ex cancro, qui in puris aquis degat, ac mediam magnitudinem nondum excesserit, desumpta nec stomachum onerat, nec aegre dissoluitur, ac bene nutrit; dum contra *Gammari*, seu cancri maritimi, qui subinde adfertur, etsi non parum sapida sit, grauis stomacho generatim est, lente conficitur, ac tarde descendit.

255. Ad vermes, qui esculenti sunt, pertinent *Helix pomatia*, *Mytilus edulis*, *Ostrea edulis*, et *Sepiae* quaedam species. *Helix pomatia*, seu cochlea, etsi confecta validi alimenti sit, riteque condita non male sapiat, tenax, et glutinosa adeo est, vt stomachum oneret, et difficulter quouis in casu digeratur. *Mytilus edulis* ex mari non adfertur; quemadmodum non aduehuntur illae species *Sepiae*, quae caeteris palato, et stomacho magis habentur idoneae, cuiusmodi sunt *Sepiola*, et *Loligo*. Sola itaque *Ostrea edulis* est, quae ex maritimis vermibus ad nos deportatur, ac conquisitissimis cibis iure accensetur. Recens enim, tenera, ac pinguis, cruda adhuc in salso, quo repletur, humore ad ignem calefacta, vel laeuissime cocta, ac succo citri condita eximium cibi genus existit demulcens, nec tam parum nutriens, vt quidam cum GALENO arbitrantur, nec concoctu difficile, vt alii tradunt, nisi praeter modum assumatur.

256. Num vero ab *Ostrea*, quo tempore oua excludit oporteat abstinere, quia tunc a vermibus quibusdam virus accipit, atque etiam expediat sedulo curare, ne *Mytilus edulis* in cibum recipiatur, cum ex morbo venenatus existit, neque facile dixerim, neque nobis scitu necessarium crediderim. Nam praeterquam quod vtrumque vermis genus quidam ab omni liberant virus suspicione, cui post vomitum excussum acida vegetabilia certo mederi dicuntur, quae ad nos adfer-

adfertur, ostrea, innoxia plane est, nec mytilus huc deportatur. Quemadmodum vero de horum animalium viru sermo incidit, non alienum iudico monuisse, nullum inter ea, quae sub aquis degunt, animalia, et nobis esculenta sunt, piscem occurrere, quem veneno donari sit euictum, imo quod traditur de ouis *Cyprini barbi*, id mihi plane dubium videtur. Etsi enim nulla mihi obseruatio suppetat, qua ab omni veneni metu eorum esum queam absoluere, cum quisque noxia eiusmodi oua habens ab iisdem perpetuo sibi caueat; attamen ex eo quod dicitur eadem choleram facere non satis virus ostendi crediderim; quia vidi interdum oua ex aliis *Cyprini* speciebus ab eisdem aquis eductis, aut praeter modum comesta, aut non satis recentia, non dissimile malum intulisse; quemadmodum ipsum gallinaceum ouum vetustum, ac subputrescens infert, nisi protinus reiiciatur, atque eius virus acida eneruent, tum denique inferunt ipsae salubriorum caeterum piscium carnes in iis, qui ob singularem stomachi, aut totius corporis proprietatem quorundam piscium esum non sine aliquo digestionis incommodo, ac manifesta corporis perturbatione possunt instituere.

CAPUT VI.

De ciborum praeparationibus, et condimentis.

257.

Indicatis vniuerſis ciborum generibus, quae nobis in victum cedunt, iisque traditis, quae in quouis cibo ad modum coctionis, atque ad ſucci nutritii vim, et indolem pertinent, nunc ordo poſtulat, vt de eorum praeparationibus, et condimentis dicam. Ad rectum ſiquidem vſum alimentorum tum in ſecunda, cum in aduerſa valetudine plurimi intereſt ſcire quaenam praeparationis ratio, quodue conditurae genus cuique cibo conueniat; quoniam a diuerſo praeparandi, et condiendi modo in eo non laeuia diſcrimina fiunt. Etſi enim eiusmodi ſit rerum omnium alibilium natura, vt etiam crudae, et ſine vllo additamento aſſumptae confici queant, confectaeque nutrire, barbararum gentium, et animalium exemplo, quo ad id demonſtrandum quidam vtuntur; attamen, vt inter caeteros animaduertit CULLENIUS, ſingulari prope inſtinctu rapimur omnes ad pleraque alibilia corpora multimodis praeparanda, coquenda, ac condienda, antequam nobis eſcam praebeant.

258. Rapimur porro ſalutis cauſſa, non ſordidae gulae luxurie ad praeparandos, condiendosque cibos; quoniam vtroque modo eos non ſolum ad palatum, ſed, quod maxime intereſt, ad digeſtionem, atque ad ſalutare nutritionis opus magis accommodatos efficimus. Eo enim, quaecumque ſit cibi ſiue praeparatio, ſiue conditura, tendit, aut ſaltem debet tendere, vt eum cum maiori, et plane innoxia ſaporis gratia ab oris, maſticationis, et ventriculi potentiis magis ſolubilem efficiat, ſtomacho leuem reddat, eumque a nocu-

noeuis, aut alimento alienis partibus liberet, atque eiusdem nutriendi modum, et vim, quo magis licet, tutissime augeat.

259. Ad hunc porro multiplicem assequendum finem in vegetabilibus, atque animalibus cibis praeparandis maceratione vtimur, et coctione. Etenim maceratione quaedam vegetabilia leuem, quam habent, vel amaritiem, vel aliam ingratam saporis, odorisue qualitatem exuunt, quaedam iam exsiccata aut pristinum virorem quodammodo recuperant, aut mollitiem, quam exsiccatione amiserunt, recipiunt, tum alia, quae cruda nimiam duritiem habent, interdum molescunt adeo, vt sine vlla praeparatione edi, et digeri facile possint, aut postea inter coquendum citius, et plenius emolliantur. Pari modo ex animalium genere carnes, siue fibras ita firmas, et duras habeant, vt sibi relictae ob nimis lentam, atque imperfectam mutationem, qua ad putredinem sensim adducuntur, non satis per se subigantur, aut inuiso halitu, vel sapore donentur, siue in aqua, siue in apto liquore probe maceratae palato, et stomacho alienas qualitates demittunt, et optimae coctioni subeundae idoneae fiunt, qua sapidae, qua molles, in ore diuidi, ac cum saliua commisceri, tum a gastrici succi potentia expedite, penitusque dissolui, atque in chylum possint mutari, qui multi, et salubris alimenti sit.

260. Coctio autem, qua ignis actioni vegetabilia pleraque subiiciuntur, omniaque animalia esculenta, si vnam forte excipimus ostream, quanti in vtroque ciborum genere faciat ad saporis gratiam, ad masticationis, et solutionis facilitatem, ad optimam digestionem, ad maiorem chyli copiam, atque ad perfectam nutritionem cuique compertissimum est. Ipsius siquidem vi tum vegetabilia nimium, si forte habeant, aerem, nimiamue duritiem amittere, inutiles saepe partes, aut alienas qualitates deponere, nutrientes particulas

culas euoluere, atque illas inter se melius compingere, aut a nimia aqua liberari, melius sapere, stomacho leuia, et digestu facilia, magisque nutrientia, et salubria euadere; tum ipsa animalia, quae secus salutari humani corporis nutritioni inseruire non possent, delicati, sapidi, facile soluendi, et valide, ac salubriter nutrientis succi fieri quotidiana experientia edocemur.

261. Quemadmodum vero ignis pro diuerso modo, quo eisdem esculentis admouetur, eorum qualitates diuersimode afficit, et opportune applicatus quaedam eorum vitia emendat, et nouas eisdem siue saporis, siue salubritatis dotes conciliat, proindeque magni vsus, ac summae vtilitatis esse soleat, refert omnino quemquam nouisse tum cuiusque coctionis effectus, tum quae eius ratio cuique ciborum generi conueniat, vt rectum siue in secunda, siue in aduersa valetudine cibi vsum instituat. Qua quidem in re curare maxime oportet, ne gustui potius, aut luxuriantis stomachi cupiditati, quam saluti ratio habeatur. Prout vero esculenta vel igni proxime admouentur, vel eidem exponuntur ollis, vel aliis vasibus indita, vel per se, aut cum aliquo humore coquuntnr, praeparatione non leuiter differunt, ac plus, minusue sapiunt, atque apta stomacho, et nutritioni existunt, ficuti quoduis genus expendenti patebit.

262. Porro, quae esculenta in aqua feruida coquuntur, atque elixa vocantur, ita coqui debent, vt partim vi ignis, partim aquei vaporis emollita, tenera fiant, quemadmodum fit cum vegetabilibus quibusdam, ac cum maiorum animalium carnibus, quin nimis protracta coctione nutritias resolutas partes in aquam effundant, et minoris alimenti, ac difficilioris coctionis euadant. Hinc carnes quae diu, multumque inferueant oportet, vt molles fiant, cum nutrienti gelatina magna ex parte cum aqua communicata exiguum alimentum praestent, ac difficulter digerantur, prius quam

quam elixentur tepida aqua macerandas esse, aut clauso in vase coquendas monent diaetetici: quod maxime seruandum praecipiunt quoties aues annosae, aut durae cibo aptandae sint.

263. Res porro eadem iurulenta, seu in pingui iure decocta magis alit elixa, estque tenerior, et humidior, cum omnem fere succum retineat. Quamobrem hoc coctionis genus caeteris accommodatius est ad ea praeparanda, quae breui coctione indigent, vt mollia fiant, eaque paullo protracta mucilagineam, oleosam, gelatinosamue materiem facile demittunt, atque vna saporis gratia priuantur. Sunt huius generis molliora olera, teneriores quadrupedum iuniorum carnes, pulli cohortales, aliaeque altiles aues nondum adultae, ac pisces teneri, qui tamen crebrius aceto elixari solent, cum hoc modo cocti melius sapiant.

264. Duo alii etiam suppetunt coctionis modi, qui carnibus solummodo conuenire videntur. Vno carnem cum exigua vel pinguis condimenti, vel liquoris idonei copia in vase inditam, atque occlusam leniſſimo igne tamdiu coquunt, donec veluti in balneo emollita, et proprio in succo macerata, tenera, ac valde sapida fiat. Huic proinde coctioni recte subiiciunt quamlibet carnem, quae sit desumpta ex maiori aut vetusto animante, ex grandi fera, atque ex magno pisce, qui aetate summam magnitudinem impleuit, ac firmam carnem habet: maxime vero vbi oporteat eiusdem carnis saporem acuere, ac nutriendi facultatem maiorem efficere. Alter autem coctionis modus ille est, quo vel maior auis, aut insigne aliquod frustum ex caeso quadrupede, aut pisce ad ignem torrefit, siue verrubus infixum ad ipsum iugiter versando assatur. Quod cum fit sine iure, aut sine alio liquore caro ita coquitur, vt humore, quem in superficie primum demittit, inspissato, atque extimis deinde fibris per vstulationem adstrictis, ex proprio nec aliunde adscititio

succo

ſucco ſapida, tenera, nec parum nutriens euadat ob gelatinoſas particulas calore vndique penetrante ſenſim reſolutas, atque ob ſuperficiem cruſta obductam intus coercitas. Quare eiusmodi praeparationis genere non modo carnes ſuperfluo humore priuantur, ac ſapidiores fiunt, volucris nimium pinguis, aut iunioris quadrupedis, aut mucidi, et valde oleoſi piſcis exemplo, verum etiam bonum nutrimentum, atque elixis validius afferunt, quia fere omnem nutritium humorem adhuc ſeruant. Quoties interea luculento admodum igne, et diuturno aſſandae ſint carnes, toties ne nimis torrefiant, inter coquendum ſubinde pingui humore commode irrorantur, quemadmodum communiter fit, ac quidem rectiſſime cum tenerae, ac minus pingues aues hoc modo coquuntur.

265. Ab eiusmodi coquendi ratione parum differt ea, cui carnes ipſae ſubiiciuntur, cum pingui obductae condimento in clibano aperto vaſe coquuntur. Illae potius differunt, quae in eodem clibano, ſiue artocreatis inſtar praeparatae, ſiue obtecto vaſe occluſae coquuntur, quia volatiliores, tenuioresque etiam particulas retinent. Quae vero carnes, aut in craticula nudo exponuntur igni, aut in ſartagine frixantur, etſi elixis magis alant, quatenus ſuperficie vi caloris adſtricta nutrientia principia adhuc conſeruant, et proinde aſſatis proxime accedere videntur, ab iſtis nihilominus diſcrepant additamento butyri, olei, et pinguedinis, atque ipſo coctionis modo. Cum enim pinguia eiusmodi condimenta valido igne vſtulentur, ſubuſtulata vero ſubacria, et magis ſtimulantia fiant, ſuas quoque qualitates vna incoctis carnibus tribuunt.

266. Ex huiusmodi tamen obſeruatione non illud conſequitur quod nonnulli tradunt, cibos, qui in craticula coquuntur, aut frixi ſunt, generatim parum eſſe ſalubres. Etenim diligenter cocti quin exſucci fiant, ac ſubatrum colorem induant, nec nimio, aut inop-

portuno

portuno pingui condimento parentur, omni noxa carent, atque eas etiam ſapidas, ſalubresque qualitates interdum aſſumunt, quas diuerſa ratione cocti non haberent. Hinc in ferrea crate igni expoſiti vegetabiles quidam cibi, vt capita cynarae, quaedam quadrupedum partes, vt ſuillae, aut vitulinae carnes coſtis inneXae, ac mucoſi, pinguioresque piſces palato, et digeſtioni aptiores redduntur. Frixa item non pauca alimenta vegetabilia aqueo priuata humore, tum animalia ſiue aquatilia, ſiue terreſtria, nimia amiſſa mollitie, vt in cerebro vituli, aliorumque quadrupedum accidit, aut aliena pinguedine, et aquea parte deperdita ſuauius ac digeſtioni commodius edulium praebent.

267. Atque haec potiora genera ſunt praeparationis, ſeu coctionis, quibus eſculenta palato, ſtomacho, ac nutritioni aptiora fiunt; quae ſane fermentationis veluti ſpecies cum qualitates ipſas ciborum non parum immutent hic loci omittenda non erant. Reliquas potius praeparationes ſilebo, quae, cum vnum reſpiciant ſaporem, coquum potius afficiunt, quam medicum, monendo interim quosdam cibos, antequam igni admoueantur, non ſolum aut ſpontanea maceratione indigere, aut per artem multimodis eſſe ſubigendos, atque eluendos, ſed praeterea ſingulare interdum praeparationis genus coctionem antecedens omnino requirere. Exempio ſint nonnullae aues, quae piſcibus viuunt. Hae ſiquidem digeſtu admodum difficiles, et piſcino halitu, atque acri ſapore ingratae ſi aſſentur, poſtquam aeri ſatis expoſitae fuerint, atque, e corpore tum extimo, tum ſubcutaneo velamento detracto, in aceto probe maceratae, concoctu non difficiles euadunt, ac ſubrancidam qualitatem magna ex parte amittunt, imo nec ingrate ſapiunt, nec inſalubriter alunt.

268. Verum cum loquor de diuerſa cibos coquendi, ac praeparandi ratione, antequam de condimentis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0183
DFG

mentis differam, duo illa attingam, quae ex elixis carnibus parantur vsu, viribusque nutrientibus probatissima, iura nempe, et carnium concreta, seu gelata. Cum enim ista pro varietate animalium, e quibus parantur, plus minusue nutriant, ac praeter communem nutriendi virtutem aliis facultatibus pollere dicantur, ob quas in aegrorum victu rite administrata morbi etiam curationi prospiciant, sic expendi singillatim debent. Non interim cuncta persequar, quae ex quouis probe animalium genere parari possent, vel iam a medicis fuerunt proposita, vel reapse conficiuntur caussa potissimum saporis, et gulae illecebris; ast ea, quae vsitatiora sunt, et tum bene valentibus, tum aegris, maxime tuta, salubria, et medicamentosa censentur.

269. Vsitatiora porro sunt in sanorum, aegrorumque victu iura ex carne bubula, vitulina, et gallinacea, quae etiam pro varietate, et copia nutrientium principiorum, quae inter coquendum aquae largiuntur, inuicem discrepant. Bubulum siquidem ius densa gelatina, qua valde abundat, et oleo, quod parua copia vehit, admodum nutrit, et demulcet. Vitulinum, cum tenuiorem, minoremque, quam bubulum, gelatinam, plus vero muci in se habeat, eo quidem minus nutrit; ast magis obuoluit. Hinc saepe expedit apud nos ius, quod ex vtraque carne, nisi bubulae gallinaceam carnem adiicias, paratur; praesertim vbi sola vitulina carne iunioris admodum animantis adhibita, quae valde mucida, et glutinosa esse solet, nimis inuoluens, pingue, et digestu non leue ius conficiatur. Ex eadem porro caussa insalubria iura censentur, quae secus, nisi ob nimium gluten onerarent stomachum, et humores inspissarent, ex haedi, agni, veruecis, et similium carnibus elici possent. Iura autem siue ex gallina, siue ex gallo praesertim vetusto elicita ob sapidissimam, densam, ac valde nutrientem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838246877/phys_0184
DFG

tem gelatinam, quin laxent, abunde nutriunt, vires-que reſtaurant.

270. Reliqua vero iura, cum medicata habeantur, ſi quaedam excipimus, etiam in ſanorum victu recepta, aegris ſolummodo inſeruiunt. Sunt huius generis, quae ranae, cochleae, limaces, lumbrici, teſtudines, cancri, piſces, et colubri vulgares nobis ſpecies *berus*, et *ſmiroldo* ſuppeditant. Quae ex ranis exenteratis, pelle, capite, pedibusque abiectis, in apta aquae copia, ſiue in balneo maris diu ebullitis, ſiue aperto vaſe vsque ad tertias, vel ad dimidias incoctis iura fiunt, quibus ſubinde medicatae herbae, vitulinae, aut gallinaceae carnis fruſta, vel aliquot fluuiatiles cancri adiiciuntur, delicate ſapiunt, humectant, nutriunt, et gelatinoſo ſucco acredinem obuoluunt. Sunt autem iura haec ob copiam ranarum optimae indolis, quae hic ſuppetit, ſanis ipſis vſitatiſſima. Quod ex *Helice Pomatia*, ſeu cochlea eduli conficitur ius, quodque ex ſex, vel octo noſtratibus cochleis in aquae libra, aut ſeſquilibra parari ſolet, mucaginoſi ſaporis eſt, ac, dum nutrit, ſanguinis acredinem contemperare dicitur. Illa vero, quae olim fieri conſueuerant iura ex *Limace* tum *atro*, tum *rufo*, vt leuiter nutrirent, atque ob mucidum, quo vterque vermis donatur, ſuccum demulcerent, atque inuoluerent, hodie prorſus inuſitata ſunt. Neque *Lumbricus terreſtris* mucilaginei, ſubſalſi, et nauſeoſi ſaporis ad ius conficiendum recipitur, neque eius ſuccus exprimendo elicitus iuribus aliis nutriendi, et temperandi cauſſa hic loci vnquam additur, quemadmodum alibi fieri dicitur.

271. Nec valde vſitata ſunt iura, quae caeterum non infrequenter aegris ego ſuadeo, ex *Teſtudine orbiculari* petita. Haec ſiquidem rite parata, nec aequo tenuiora, aut meraciora, ſtomacho, niſi ſumma imbecillitate laboret, grauia non ſunt, mediocriter nutriunt, demulcent, et niſi nimio calori, et ſiccitati ex

lenta febre ortis medeantur, imo prae reliquis iuribus, vt Ill. Trnka arbitratur, saltem quibusdam minus stimulare, et calefacere videntur. Aestum quippe moderari, seu reuera, vt quidam loquuntur, iura haec refrigerare ego non dixerim; maxime qui factis periculis didicerim eadem, antequam corrumpantur, non acescere, vt ius vitulinum, aut bubulum solet: quod caeterum non refrigerat, vt perperam vulgus existimat.

272. Crebro autem apud nos bene valentes, nec raro aegri vsurpant iura ex *Cancris fluuiatilibus* ablutis, et contusis apta aquae quantitate decoctis, quae, vt summi viri Beccarius, et Montius repererunt *) propria grauitate ad iuuenci ius omnium grauissimum proxime accedunt, et gelatinosa illa materie non donantur, qua reliquarum carnium iura abundant, vel saltem gelatinam, quam singularis naturae non dicerem, diuerso modo habent admixtam. Iura enim haec, licet diu, multumque decoquantur, nullam materiam frigore coagulabilem, atque igne fluxilem, nempe gelatinam volatilium, et quadrupedum carnium iuribus propriam non largiri, sed potius turbida fieri, et flauedinem, atque acrimoniam contrahere iidem auctores testantur. Quae quidem experimenta cum eodem euentu repeterem, mihi etiam monstrarunt, alcalicum principium ex eodem iure quam facile, et breui euolui, neque idem ius instar vituli iuris, antequam putrescat, acidum patefacere.

273. Neque tantum ob adductas causas a vitulino, aut bubulo iure, quod ex cancris confeceram differre apparuit, verum etiam differentiam aliquam exhibuit cum iure tum *Cyprini barbi*, tum *Ranae esculentae* eodem modo confecto diligenter comparatum. Etenim cancrorum ius vix refrigeratum alcalicam indolem hisce maio-

*) Comm. Instit. Scient. Bonon. T. II. part. I.

maiorem monſtrauit, quia coeruleo heliotropii liquori *(Lackmus)* admixtum, qui iam ab acidis inſtillatis ruber euaſerat, eum iterum ad priſtinum colorem citius, pleniusque reſtituit. Id vero quod ex eo, aqueis difflatis partibus, ſuperfuit, praeterquam quod non concreuit, copia non attigit gelatinam, quam longe vberiorem barbi, et ranae iura praebuerunt. Idem denique ius cancrorum pluries exploratum, antequam computreſceret, reliquis iuribus magis alcalicum perpetuo apparuit.

274. Hoc autem obſeruationis genus cum luculenter oſtendat fluuiatilium cancrorum ius plus alcalicis, quam gelatinoſis particulis abundare, oſtendit etiam iuribus aliis opportunius eſſe ad humorum aceſcentem, vel iam acidam in primis viis, vel forte alibi etiam haerentem acrimoniam inuertendam; ac contra illis longe minorem nutritionem afferre, e quibus gelatina, et copioſa, et firmiter concreſcens facile educitur. Quod quidem vellem ii intelligerent, qui in morbis, vbi cibo affatim nutriente, ac maxime gelatinoſo, et, quo minus fieri poteſt, alcalico opus eſt, iura cancrorum ſuccis, et iuribus animalium non cruſtaceorum anteponenda eſſe generatim arbitrantur; tum ii quoque animaduerterent, qui eorundem cancrorum iura negligunt, quoties acidum temperare oportet, abſorbere, atque inuertere, vel ipſum arcere.

275. Inter piſces autem fluuiatiles nonnulli occurrunt, e quibus non ſanis modo, quemadmodum paſſim fit, verum ipſis maxime aegris perutilia iura elici quidam tradiderunt. Eiusmodi potiſſimum iudicantur ex *Cyprino tinca*, et *Muraena anguilla*. Nam ex primo piſcis genere confectum ius ſubglutinoſum, et alcaleſcens acido obnoxiis, atque vna emaciatis ſubuenire dicitur: quod facile largiar; imo ad id accommodatum illud cenſeo, quod ex *Cyprino barbo* conficitur, cum viderim mitiſſimo ſapore donatum, nullum acoris

indicium praebens, antequam corrumpatur, et modice alcalicum gelatinosis partibus abundare, ac delicatam, non exiguam gelatinam suppeditare. Ius autem alterum ex anguillae nostratis carne paratum num iusculis viperarum, seu potius *Colubri beri* commode queat substitui, vt vir summus SWIETENIUS proposuerat, factis experimentis inquisiui. Verum ex hisce luculenter innotuit, nihil ex eiusmodi iure vlla arte extrahi posse, quod ad gelatinosam viperae materiam accedat. Praeter oleum siquidem, quod anguillae iuri multa copia innatat, nauseosum, et tetrum, subacre, ac facile rancescens, nihil in eodem reperies, quod singularem virtutem polliceatur. Quod profecto euenit, etiam si anguillarum caro ab omni pinguedine priuata ad ius conficiendum vsurpetur. Quare ob nimium oleum eiusmodi ius neque aegris vnquam proficuum, neque bene valentibus innocuum, aut saltem salutare existimo.

276. Sed cancrorum iuribus non minorem animaduersionem desiderant iura, quae ex *Lacerta* tum *agili* seu *viridi*, tum *vulgari*, ex *Colubre bero* seu ex vipera in Italia communi, atque ex *Colubri* illa specie Insubriae indigena, quae *smiroldo* vocatur, non raro parantur. Etsi enim ad sanorum victum iura haec non spectent, interdum tamen solent aegris praescribi, eademque illustrium sane medicorum dissensu circa vires, et vsus, nostris maxime diebus, valde inclaruerunt. Caeterum haec e vestigio proponam cum de eorum principiis, viribusque fuse alibi egerim *). Satis itaque erit hic quoque dicere eiusmodi colubrum, lacertarumque carnes frustillatim sectas vario caloris gradu in aqua detentas prius, quam corrumpantur, acidi principii euoluti nullum indicium praebere, vt in bubula, aut vitulina carne accidit; viperarum carnes hoc modo

*) Opusc. Therap. Op. IV.

modo praeparatas ocyus computrescere; igne minus vtique *ammoniaci*, seu alcalici volatilis salis e viperis resolui, quam smiroldi, lacertaeque caro praebeat, sed viperinum salem longe tenuiorem, fugacioremque esse ipso eiusdem generis, qui ex cornu cerui trahi solet.

277. Caetera vero quod spectat horum iurium discrimina, breuiter monebo, viperinum copiosiorem, ac gustui magis iucundam gelatinam continere; tum ipsum subobscurum, subcinereum, et gustui gratum sapore praestare aliis ex altera colubri specie, lacertisque confectis; ex eodem *Colubre smiroldo* paratum ius e viridi luteum sylvestrem odorem spirare, nec sapore iucundo donari, vt viperinum mihi videtur; tum illud ius, quod ex eadem carnis copia, et modo elicitur e *Lacertis*, esse purum, subluteum, ac parum sapidum.

278. Quae cum ita sint, arbitror iurium, quae vsu veniunt, discrimina satis patere, vt tutissime possit, siue secundae, siue aduersae valetudinis caussa constitui, quid vnumquodque ius potissimum praestet, quodque ex singulis maxime pro diuersa rerum ratione conueniat. Animaduersum quippe est iura ex mammalium terrestrium carnibus petita non prius alcali euoluere, ac corrumpi, quam acida euaserint, contra quam in piscium, amphibiorum, insectorumque iuribus contingat. Obseruatum pariter est, cancrorum iura caeteris magis alcalescere, ac minorem copiam gelatinae, nec quidem concrescibilis indolis, vehere, tum inter reliquas, quae gelatinam habent, magisque alcalescunt, animalium carnes ignis actione alcalicum volatile principium copiosius viperinam carnem euoluere, atque ex hac resolutum longe tenuius, atque ad auolandum promptius esse.

279. Hinc nos decebit constituere quaenam iura aegris aptiora sint aliis, cur quaedam prae aliis stimulent, et calefaciant, cur alia reliquis melius ac plenius nutriant, tum speciatim quomodo iura viperarum sti-

mulando, calefaciendo, discutiendo, atque vna non parce nutriendo non alimentum solummodo afferant, sed non spernendum, nec propriis facultatibus destitutum vna medicamentum, hic saltem loci, atque in vniuersa Italia suppeditent in chronicis, lentisque passionibus vtile. Perperam itaque arbitratur CULLENIUS nullum nobis suppetere vel leue argumentum, quo proprias vires medicatas viperis tribuamus, quemadmodum ipse minus aeque opinatur, cum asserit id omne, quod de nutrientibus, ac medicamentosis viperarum proprietatibus traditur tum veterum, tum nuperiorum, qui eos sequuntur, insciti am ostendere. Verum eiusmodi dicterio ne quis commoueatur, aut sententiam mutet, vt mittam, quae ipse egi, quaeque etiam TISSOTUS, atque HAENIUS magni artis proceres obseruarunt, satis erunt, quae Medicinae Italicae principes BECCARIUS, MORGAGNUS, et BURSERIUS ad iurium ex viperis praestantiam demonstrandam nobis reliquere.

280. Atque haec potiora sunt iura, quae sanis, aut aegris inseruiunt. Sed vbi valentius, et celerius nutrire corpus expediat, nec quidpiam vetet, quominus ex animalibus valde nutriens cibus desumatur, gelata, aut concreta, seu gelatinae ex eisdem iuribus praeparatae in vsum interdum veniunt; quamquam aegris raro sub hac forma, saepius vero aqua solutae exhiberi soleant, ne stomachum parum validum onerent, et humores nimium inspissent, nimiumque glutinis inferant; ob quod a sanis, et robustioribus etiam copiose, et crebro assumptae euidenter nocent. Praeter gelata autem, quae ex pedibus potissimum haedi, agni, et vituli, aut ex carne galli gallinacei vetusti, vel gallinae senioris parantur, vsitata sunt, quae ex cornu cerui, ex ebore, seu dente *Elephantis maximi*, ex ichthyocolla, atque ex vipera fiunt, si ea tamen mittimus, quae ex vegetabilibus conficiuntur.

281. Quem-

281. Quemadmodum vero ex hiſce inſtar iuris decoctis, ac dein leni igne aqueas partes diſſando inſpiſſatis ſuperſtiti liquori, antequam cohaereat, modo aromata, modo ſuccus limonii, aut citri, modo flauedo, aurantiorum, modo ſaccharum, modo aquae fragrantes, aliaque eiusmodi, ſaporis, odorisue cauſſa adiiciuntur, plus, minusue iucunda, viresque reſtaurans gelatina exſurgit. Probatiſſimum porro eſt, atque alibi vſitatum gelatinae illud genus, quod ex cornu cerui in ſcobem comminuto in aqua diutiſſime cocto, additis amygdalis, et ſaccharo, in emulſionis formam praeparatur. Quod ſi huic citri flauedinem, ac ſtillatitiam odoram aquam addimus, cibi genus paratur, *edulium album* vocatum.

282. Verum non haec ſolum inuſitata nobis gelata ſunt, ſed raro etiam aegris ipſis ea ſolent praeſcribi, quae iam indicata iura largiuntur, vtut ſapore praeſtent, atque vtilia interdum eſſe queant. Etenim ius e teſtudine in gelatinam flaueſcentem valde ſapidam concreſcit; tum ius ranarum in albidum, delicatum, ſat copioſum, et tremulum concretum coaleſcit; ac guſtui pariter gratam, copioſamque gelatinam relinquit cyprini barbi ius; tum omnium ſapidiſſimam, et valde copioſam largitur viperinum ius igni tamdiu admotum, donec aquae particulae auolauerint. Interim ne leniſſima etiam ignis actione aquea viperini iuris pars inter exhalandum volatiles quoque medicatas particulas ſecum abripiat, ſunt, qui gelatinae loco melius eſſe praecipiant, carnem ipſam viperarum, (niſi cruda, aut cocta conficienda ſit veterum more), diutiſſime coquere in tam exigua aquae copia, clauſo vaſe in balneo maris collocato, vt ius meraciſſimum, niſi frigoris vi poſtea concreſcat, ſaltem ad concreſcendum quam proximum videatur.

283. Ad gelata etiam, ſeu concreta, quae ad ciborum praeparationes pertinent, illa etiam referri de-

 bent,

bent, quae ab expreſſis fructuum quorundam horaeorum ſuccis ignis vi, poſt additum ſaccharum, inſpiſſatis conficiuntur: quae ſane concreta, etſi aliquid ignis actione tum ſaporis, tum reliquarum qualitatum amittant, nouam tamen gratiam, ac nouas proprietates a ſaccharo accipiunt. Hinc vel per ſe aſſumpta, quod rariſſime ſit, vel cibis addita ſuauitatem iisdem conciliant, ac ſalutare, et commodiſſimum interdum condimentum largiuntur.

284. Quacumque autem ratione cibi confecti ſint, aut igni admoueantur, ſumma cura nitendum eſt, vt cum eo ſemper condimenti genere coquantur, et praeparentur, quo meliores non ſolum fiant palato, verum etiam, vt iam dixi (§. 258.), ſtomacho magis idonei euadant, et ſalubrius, atque vberius nutriant. Sicuti porro condimentorum genera non eiusdem ſunt facultatis, quia nonnulla ſapidiores, et magis ſolubiles cibos ſolummodo reddunt, alia, dum gratiam alimentis conciliant, nutrientem eorum virtutem maiorem efficiunt, quaedam alienas horum qualitates emendant, ac quaedam excitatis, auctisque digeſtionis viribus ciborum meliori concoctioni proſpiciunt, plurimum intereſt ſingula eorum genera nouiſſe. Maxime vero quod vnumquodque conditurae genus propriam habens naturam, diuerſum ſaporem alimentis tribuat. Ergo muneris eſt ſalina, dulcia, acida, pinguia, et aromatica condimenta ſpeciatim perſequi.

285. Salina, quae dicuntur, condimenta vim accipiunt omnia a *muria*, ſeu ab eo ſalis genere, quod commune, aut cibarium appellatur, quodque ſiue marinum, ſiue gemmeum, ſiue fontanum, rite depuratum vbi ſit, praecipuum eſt cibi cuiusque tum vegetabilis, tum animalis condimentum. Etenim eiusmodi ſal certa copia, quae notiſſimos quosdam limites non excedat, eſculentis, maximeque animalibus additum, dum cuique alimento ſaporem conciliat, ipſum ita attenuat,

attenuat, ac resoluit, vt a gastrico succo expedite, penitusque conficiatur. Idem quippe sal carnibus certa proportione additum putredinem accelerat, dum contra maiori copia insperſum ab ea ipsas tuetur, ac solutu difficiles reddit. Quod quidem phaenomenon ita est tum a summo viro PRINGLAEO aliisque celeberrimis Physicis, tum a me ipso tot certis obseruationibus, experimentisque alibi relatis *) euictum, vt mirandum prorsus esset non satis constitutum iudicasse CULLENIUM, nisi constaret hunc, clarissimum caeterum virum, nimis facile, et crebro Veterum, et Nuperiorum inuenta, atque obseruata temere vel reiicere, vel in dubium reuocare, suaeque opinioni, aut coniecturae nimis tribuere. Licebit itaque mihi tuto constituere hoc potissimum fine naturam quemque impulisse, vt sale alimenta condiret, quo gustui, quo stomacho, quo digestioni, quo nutritioni magis conuenirent, atque ipsi corporis incolumitati melius prospicerent. Eiusmodi quippe sal alui, atque vrinae egestiones sollicitat, humorumque integritatem conseruat quoties non nimia copia sumatur. Tum enim solidis laesis, fluidisque corruptis ea omnia suscitat mala, quae ab acrimonia muriatica oriri Pathologi docent.

286. Ab eodem praeterea sale vim maximam agnoscunt duae illae conditurae species, quae ad salina condimenta referuntur *Cauiarum*, et *Garum*. Primum constituunt oua *Aeipenseris*, vel *sturionis*, vel *rutheni*, vel *husonis*, aut *Mugilis cephali*, aliorumque piscium sale condita, et contusa, quibus aliquid olei adiicitur: quod, etsi condimentum, aut obsonium maritimis populis praestet, nobis insuetum est. Alterum vero nobis, et plerisque Europae gentibus plane inusitatum celebratissimum erat, nobilissimumque Romanis condi-

*) Ricerche sul succo Gastrico etc. cap. VI.

menti genus ex piſcium interaneis liquatis confectum, quod multiplex fuit, prout e diuerſo piſcis genere deſumebatur, ac prout ſanguinem, aut vinum, aut acetum recipiebat. Cui quidem conditurae, aut liquamini hodie ſuccedaneum eſt illud, quod *Clupeam encraſiculum* in aceto, leui calido cinere, ſoluendo conficitur, quod ſapore ſalſo ſuauiſſimo donatum cibis vegetabilibus, animalibusque, quibus adiicitur, eximiam gratiam tribuit.

287. Salinis condimentis ea accedunt, quae dulcia ſunt, quatenus horum princeps ſaccharum, a quo etiam reliqua dulcia ſaporem, ac potiores vires accipiunt, ſalis quoque naturam habet, ſaporem cibis impertitur, eos commodiſſime attenuat, atque ob inſignem antiſepticam facultatem iisdem certa doſi admixtum, ſiue vegetabiles, ſiue animales ſint, a corruptione tuetur. Porro tum ſaccharum cum mel reuera dulciſſimum, dum eiusmodi praeſtat effectus, ingratum, aut auſterum, aut acidum, aut acrem plurium ciborum ſaporem corrigit, ſaponaceam, atque abſtergentem qualitatem iisdem largitur, atque oleoſis, ac mucagineis, quibus conſtat partibus, nutrientem, et reſtaurantem eorum potentiam auget, ac proinde modice vſurpatum ſuauiſſimum, ſaluberrimumque condimentum eſt. Nimia quippe ingeſtum copia, vel ab iis temere aſſumptum, qui ſtomachi cruditate, vel acore laborant, validiſſimo acido ab oleo, quo irretitur, euoluto multimodis, vt alibi demonſtraui *), nocuum exiſtit.

288. Acida condimenta, cuiusmodi ſunt acetum vini, ſuccus citri, limonii, et aurantii, omphacium, ſeu ſuccus ex immaturis vuis expreſſus praeter gratiam, quam cibis afferunt, quosdam digeſtioni magis accommodatos efficiunt, carnes a corruptione tuentur, humo-

*) Opus. Therap. Op. III.

humores contemperant, et nimium aestum corporis moderantur, vel arcent, atque eos omnes effectus praestant, quos antiseptica, ac tenuantes vegetabilium acidorum vires edunt. Hinc eiusmodi conditurae genus magni vsus est in praeparandis, condiendisque cibis non paucis tum vegetabilibus, tum animalibus, quos magis gratos, ac magis gastrico succo solubiles, magisque salubres reddit. Quae enim a frequenti aceti, et similium assumptione damna saluti illata a quibusdam deriuantur, ab horum abusu solummodo possunt deriuari; qui vtique stomachum, et intestina nimio acore laedit, nutritionem impedit, atque insumit, vapidam acredinem humoribus tribuit, ac solidarum partium vires infirmat.

289. Pinguia porro quid praestent cibis adiuncta, ex eorum natura facile est intelligere, scilicet olea ex vegetabilibus expressa, ipsaeque pinguedines animalium proprium saporem, suamque lubricandi, atque inuoluendi virtutem cum nutriendi facultate coniunctam ipsis alimentis generatim impertiuntur. In eo tamen discrimen est, quod recentia, nec igne mutata, nec sale insperfa mitem saporem cibis largiantur, olei oliuarum, et butyri exemplo, secus paullo acrem, vt pinguedo suilla, et lardum, imo acriorem, et rancescentem, sicuti pinguedines omnes solent, quae empyreuma ex igne, vel rancorem vetustate contraxerunt. Hinc etsi illa pinguia modice vsurpata noxa careant, atque vtilia bene valentibus sint, haec rancida omnibus nocua sunt. Quod quidem de nimis vetusto caseo, de carnibus nimium infumatis, aliisque condimentis verum est, quae ad pinguia referri quodammodo possunt, quae vt tuta sunt non nimio stimulo praedita, grauiter obsunt valetudini vbi ex rancore, nimio sale, nimioue fumo aequo maiorem acredinem conceperint.

290. Ad aromatica denique condimenta quamplurima vegetabilia reuocantur, quorum alia mitiora, alia acriora

acriora iure censentur; vtraque tamen vsu probata, cum ad ventriculi erigendas vires, ad motus eius, intestinorumque adiuuandos, ad saporis, odorisue suauitatem cibis impertiendam, ad inflationes interaneorum aduertendas, atque ad alias vtilitates praestandas accommodatissima sint. Ad mitiora pertinent herbae quaedam fragrantes oleoso principio parum acri, valdeque volatili donatae, quae odoris, saporisque suauitatem cibis conciliant, atque indicatos effectus praestant, sed parum durabiles, quia mite eorum principium cito diflatur. Sunt huius census folia *Saluiae officinalis*, *Apii petroselini*, *Rosmarini officinalis*, et herbae *Thymi*, tum *vulgaris*, tum *serpilli*, *Ocymi basilici*, et *Origani maioranae*, stigmata florum *Croci officinalis*, et semina *Cari carui*, *Anethi foeniculi*, et *Pimpinellae anisi*. Ad aromatica etiam condimenta valde vsitata reuocantur folia *Lauri nobilis*, baccae *Iuniperi communis*, et flores *Capparidis spinosae*, maximeque sale, et aceto praeparatae, tum quidem cortices, vt sunt *Citri*, vel *aurantii*, vel *limonii*.

291. Huc etiam reuocantur, etsi acriorem vim habeant, ac manifestius stimulent, et cutis exhalationem, et vrinas citent, imo nutritioni materiem suppeditent, tres illae *Allii* species, quae nobis vsitatissimae sunt, nempe *Allium satiuum*, *Allium caepa*, et *Allium porrum*, quae tamen non omnibus conueniunt; tum praesertim *satiuum*, siue recens, et tenerum sit, siue exsiccatum, quod magis acre esse solet. Non enim solummodo debiles, mobiles, neruis laborantes, sanguinei, et valde irritabiles ex allio plerumque male habent, sed ob peculiarem stomachi, corporisque proprietatem, cuius causa nos latet, quidam etiam inter robustiores eius esum sine digestionis incommodo sustinere non possunt.

292. Duo etiam condimenti genera suppetunt, quae huc referam, vsu valde probata, nempe quae ex

Coch-

Cochlearia armoracea, et *Sinapi nigra* desumuntur. Illius quippe radix rasa cum aceto, et modico saccharo, quo nimius eius feruor contemperetur, vel si arrideat, cum lacte admixta, tuto excitans, et sine discrimine irritans, sapidumque condimentum carnibus praestat. Semina vero sinapis acri volatili, et calefacienti principio donata in puluerem recens comminuta ex aqua, aut vino albo, aut tenui aceto embamma praebent, quod vegetabilibus quibusdam cibis melle, aut saccharo praeparatis, ac carnibus additum gratiam iisdem tribuit, atque irritandi potentiam, qua ciborum desiderium facit, digestionem expedit, ac sudorem, vel vrinam mouet.

293. Acriora vero aromatica condimenta constituunt, quae ad nos ex India orientali aromata aduehuntur, in quibus aethereum oleum aqua ponderosius, aere, diu persistens, et sat copiosum inhaeret, quae quidem omnia condimenta nobis vsitata sunt, nec quidem sine vtilitate vsurpantur, quoties, et parce, et raro ad corrigendas quorundam ciborum qualitates, ad languentes digestionis vires excutiendas, ad corporis robur sudoribus aestiuo ardore effusis fractum erigendum adhibentur. Inter haec vero aromata minus periculi afferunt nuclei *Myristicae officinalis*, seu nuces moschatae, vel illius cortex, seu *macis*, cortex *Lauri cinamomi* seu cinnamomum, ac illi calyces cum fructibus nondum excluſis *Caryophylli aromaticae*, qui caryophylli vocantur. Istis acriorem vim, maioremque calefaciendi potentiam, diuque durantem habent, *Piper nigrum*, ex quo *album* paratum mitius est, *Capsicum annuum*, *Piper cubeba*, atque *Amomum zingiber*, quae sane non solum debilibus, ac sensilioribus, irritabilioribusque nocent, sed generatim, nisi quam prudentissime sumantur, non vna de caussa ipsis etiam validioribus noxam inferunt.

294. Ve-

294. Verum dum curamus, ne ex crebro horum aromatum vsu tum stomachus, et nerui, tum humores labem accipiant, ac dum rectae, et salutari ciborum praeparationi, et coctioni prospicimus, sedulo cauendum est, ne e vasis ad eos praeparandos, et coquendos adhibitis veneni aliquid condimenta resoluant. Constat enim alimenta, quae salem, vel acetum, vel pinguedinem habent e cupreis, aeneis, plumbeis, fictilibusque vitro obductis virus posse suscipere summe nocuis particulis ex iisdem resolutis, atque vna susceptis. Cum vero iamdiu sit euictum ad omnem noxae metum auertendum, quae ab *oxyde cupri viridis*, atque *arsenici* imminet, satis non esse vasa, si ex cupro sint, incoctilia vsurpare, cum ex ipso etiam stanno, aut plumbo incocto nocuae partes queant extricari, nec innocuo plane metallo eadem possint obduci, ne argento quidem, quod non omni metu caret, prudentis artificis est cum Ill. Frankio suadere *), vt, iisdem vasis ab omni coquinario vsu reiectis, ex ferro composita sumantur, aut fictilia, quae vitro ex plumbo confecto obducta non sint, ac metallicis nocuis particulis careant. Inter haec omnium tutissima, et commodissima sunt cum vitri obductione non indigeant, et cuicumque vsui apta sint, confecta ex *Lapide ollari* Vallistelinae, quem etiam in Vallesassina Insubriae prouincia occurrere nouimus, quemque Plinius inquit: „In Siphno reperiri, qui cauatur, tornaturque „in vasa coquendis cibis vtilia, et ad esculentorum vsus, „quod in Comensi Italiae lapide viridi accidere sci„mus **)“. Num vero noxa carent cuprea ipsa vasa, quoties iisdem stannum incoctum ab arsenico prorsus priuatum sit ea methodo, quam Ill. Chaptalius nuperrime proposuit?

*) Op. cit. Sect. 6.
**) Lib. XXXVI. cap. 22.

CAPUT

CAPUT VII.

De Poculentis.

295.

Sicuti in cibo, sic in potu modus esse debet, vt secunda seruetur valetudo, et restituatur aduersa. Cum enim non ad vnam restinguendam sitim potus inseruiat, sed alias plures vtilitates sanis, et aegris afferat; perinde non est, quo potionis genere, qua copia, quoque tempore quisque vtatur. Nam alimentorum dissolutio, nutritii succi separatio, eiusque in sanguinem ingressus, tenuiorum, et aquearum partium exhalatio, atque effusio, indoles humorum, solidorum fabrica, aliaque huius census ponunt vtilitatem, necessitatemque potionis, quae diluat, soluat, humectet, temperet, tenuiores partes reparet, acrimoniam imminuat, et corrigat, fluidorumque integritati prospiciat, ac denique, aliena, et nocua secum abripiat, atque e corpore vtiliter subtrahat.

296. Praeter haec bona, quae siue functionum integritas, siue laesio adsit a potu generatim promant, alia speciatim ipse affert quoties singulari medentis consilio in morbis, pro multiplici eorum discrimine, eiusmodi habeat indolem, et proprietates, eoque modo exhibeatur, vt morbi naturae, causis, earumque effectibus queat aduersari, aut saltem aliquas salutares mutationes afferre. Hinc in recto vsu potionis morbi cuiusque, tum maxime acuti summum auxilium continetur. Quare postquam ea de potu proposuero, quae ad generales eiusdem vsus, atque in secunda valetudine effectus attinent, ea non negligam potus genera, quae tum lenta, tum celeri passione detento subueniunt.

297. Si-

297. Sitientibus porro natura vbique locorum potui, quo eam restinguerent, aquam apposuit, seu fluidum pellucidum, sapore, odore, et colore carens, (quod alias immutabile elementum habitum *hydrogi-nio*, et *oxyginio* conflari, atque in eadem principia resolui hodierni physici chemicorum rationibus adiuti nouissime reuelarunt), quod dum sitim tolleret eas vtilitates, quas modo proponebam, cuique praestaret, quando optimae indolis esset. Huiusmodi est aqua, quae inodora, atque insipida, leuis, frigida, aequam aeris portionem continens, atque alienis particulis expers celeriter calefit, et frigescit, quae ad legumina prompte coquenda apta est, ac saponem alcalicum facile soluit, quae a chemicis quibusdam liquoribus instillatis vix ac ne vix quidem perturbatur, quaeque nisi purissima sit, (cuiusmodi nusquam est, nec vbi suppeteret salutaris esset), quo magis licet, purior existit.

298. Quo igitur minus ab eiusmodi proprietatibus aqua recedit, et pura magis est, eo melior, et salubrior habetur. Fontium aqua proinde, seu fontana, aut e montibus proueniens, dummodo insolitas, aut fossilium particulas non vehat, atque e rupe scaturiat, cum puritate reliquis anteceflat, saluberrima iudicatur. Huic accedit fluuiatilis, quae ex pluuia turbida non euasit, atque e medio alueo hausta sit amnis celeriter moti, ac super arenam, aut siliceos lapides defluentis. Venit deinde putealis, quae cum puritate, aliisque rationibus pro vario solo, quo sumitur, valde discrepet, ipsa quoque salubritate non parum discrepat. Vbi enim putealis aqua ex optima, et pura scaturigine in puteum descendat, vel impuritatibus onusta arenam, et silices peruadendo eas exuat, prius quam attingatur, atque vtroque in casu eam saepe hauriendo mota sit, nec cedit fluuiatili, nec multum a fontana distare videtur. Quae vero ex cretaceo solo, aut limoso erumpit

ob

ob seleniticas, calcareas, putridasue particulas insalubris, et noxia est.

299. Cum autem putealis perraro, siue e scaturigine, siue transitu per silices tam pura reperiatur, vt saluberrima dici debeat, sunt, qui credant eidem longe praestare pluuialem, quoties in cisternam recepta quascumque ex aere abreptas sordes deposuerit. Verum hi quaeso animaduertant mora etiam in cisterna non omnes plerumque alienas partes demittere, tum, nisi crebro moueatur, facile corrumpi; ac non parum idcirco accedere lacustri, et palustri, quarum alia sedimentosa, alia facile ob notissimas causas putrescens, tumque vtraque gustui iniucunda ad quosdam morbos paratissimum quemque efficit, ob partes vegetabilium, et animalium mucilagineas, quas vehunt. Quae vero aquae mineralium particulis copia non exiguis scatent eo minus sanorum potui queunt inseruire, quo magis ab insipida, et pura fontium aqua recedunt. Marina denique aqua, quae, ob nauseosum, et salsum saporem ad sitim tollendam non valet, nisi destillatione, aliisque artificiis a salinis, corruptisue partibus prorsus liberetur, salubri potui inseruire non poterit.

300. Quamquam autem ex eiusmodi aquis, cum vel durae sint, vel a communis proprietatibus alias ob causas recedant, quotidiano vsui idoneus potus non desumatur; non desunt nihilominus rationes, quibus ad eundem praestandum accommodatissimae reddi possint. Id enim modo quiete, modo coctione, modo destillatione, modo quibusdam instillatis liquoribus, modo aliis artificiis perficitur, quae chemici tradunt, neque ego modo exponam, cum in Insubria vbique locorum sat pura, et salubris suppetat ex fontibus, et puteis aqua, vt correctione non egeat.

301. Porro siue arte pura, et salubris aqua euaserit, siue tuta, et vitae vsibus idonea ex ipso fonte emerserit, pro vario, quo donatur, caloris gradu hu-

manum corpus diuersimode afficit. Etenim frigida, quae in vniuersum salubriorem potionem affert, praeter generales effectus, ad stomachum confirmandum, atque ad totius corporis vires erigendas speciatim valet. Frigidissima duo haec validius quidem efficit; sed cum inassuetis, aut stomacho non satis firmis frigore suo molesta sit, atque aestuante corpore assumpta gravissima suscitet mala, medicinae potius caute adhibita, quam sanorum potui inseruit. Item gelida, et gelidissima, cum nimium fibrarum nexum augeat, firmis admodum hominibus nimio inducto robore obest, atque a debilibus, vel laxitate laborantibus instar medicamenti solummodo potest impune, atque interdum vtiliter vsurpari.

302. Cocta vero, atque iterum refrigerata, etsi frigida palato minus grata sit, nec roborando queat inseruire; quibusdam tamen, atque iis speciatim, quibus cruda ob singularem siue stomachi, siue totius corporis constitutionem officit, accommodata censetur. Quod quidem ex eo fit, quod ope ebullitionis aere suo fere orbetur, quem tamen iterum lapsu temporis, maximeque eam agitando recuperat. Leuissime calefacta, seu tepida, cum stomachum, atque intestina relaxet, et caeteris etiam partibus laxitatem, et debilitatem inferat, sano cuique non conuenit, nisi a peculiari eius vel natura, vel consuetudine indicetur. Denique magis calefacta, licet eo momento, quo assumitur, vi caloris ventriculo ad contractionem adducto, tepidae contrarium effectum exserere videatur, ex inducta tamen irritatione, aestu, motuque aucto, cum noceat plerisque, neque ea singula bona praestet, quae frigida, et recens affert, a potu sanorum aliena censetur.

303. Haec de aqua, quam natura ad restinguendam maxime sitim, aliaque vitae, et sanitatis commoda nobis praefecit: quod sane potionis genus ad tuendam valetudinem, ad corporis robur sustinendum,

ad

ad longaevitatem adducendam, ac praesertim ad sensuum, et mentis integritatem conseruandam est accommodatissimum. Interea cum vel ipsi liquores, quos ex fermentatis quibusdam vegetabilibus inuentrix hominum industria comparauit, atque ad communem vsum vel antiquissimis temporibus traduxit, salutares habeant qualitates cum saporis suauitate coniunctas, et multis quouis loco praecipuam, aut magnam potionis partem constituant, hic debent singillatim expendi. Quod quidem ex eo maxime interest, quod eiusmodi potionum non vnum sit genus, atque vnumquodque salubre esse non possit, nisi apte sit praeparatum, et non vltra modum assumatur. Ad eiusmodi vero poculenta pertinent speciatim ceruisia, et vinum.

304. Ceruisia, quam iam sua aetate in Gallia, aliisque prouinciis ex frugibus fieri tradidit Plinius *), quamque cum zytho, caelia, aut ceria quidam confundunt, alii distinguunt, ex cerealibus seminibus aqua madefactis, leni calore ad germinationem fotis, tostis, et coctis, quibus lupuli, aliaue amara adiiciuntur spirituosa fermentatione paratur. Ea vini generatim proprietates habet; sed eodem minus stimulat, atque inebriat, tum diluit, viam vrinae facile petit, non parum nutrit, viresque salubriter reficit, dummodo modica copia sumatur, ex optimo cereali confecta sit, maximeque ex hordeo, non aequo meracior, aut tenuior, nec nimis vel recens, vel antiqua existat, ac fermentationis, tostionis, et lupulorum defectu plane careat, nec facile ebrietatem inferat, quae aegrius discutitur ea, quae a vino procedit. Porro ceruisiae plures species exsurgunt sapore, et proprietatibus inter se dissimiles, quas tamen ego omittam, cum nobis insuetus sit ceruisiae vsus, quae vix alicubi conficitur, vel etiam e Germania aduecta vix raritatis caussa

*) Lib. 22., cap. ult.

principum menſis, aeſtiuis diebus, quandoque apponitur.

305. Potius itaque dicam de vino, quod licet ex quibusdam vegetabilibus, dummodo ſacchari principia contineant, ac ſpirituoſam fermentationem queant ſubire, parari poſſit, ac proinde quorundam gentium more, etiam ex lacte; proprie tamen conficitur ex vuis *Vitis viniferae* fermenteſcentibus. Sapore, odoreque gaudet vinum a reliquis omnibus diſtincto, magis vel minus grato pro diuerſa vuarum indole, quae a diſſimilitudine coeli et ſoli, in quo creſcunt, a diuerſo maturitatis gradu, ab ipſo modo, quo vinum fit, atque a diſſimili ipſius vitis ſpecie repeti debet. Conſtat autem vinum aqua, alcoole, materie ſaponacea, ſaccharina, gummi reſinoſa, et acido tartaroſo: quae quidem principia cum varia proportione in diuerſis vini ſpeciebus reperiantur in iisdem non leuia diſcrimina conſtituunt, quoad vim, ſaporem, denſitatem, atque ipſius vini effectus, atque etiam rationem reddunt cur idem vinum diluat, ſitim reſtinguat, demulceat, excitet, calefaciat, cordis arteriarumque actionem ſollicitet, et circuitum humorum acceleret, inebriet, ſudorem inuitet, vrinas pellat, nutriat, vires errigat, roboret, ac putredini aduerſetur.

306. Sed quod ad proportionem attinet partium, quae vinum conſtituunt, non ex ea ſolummodo diſcrimen in vino proficiſcitur. Id enim oritur etiam ab aetate, a modo fermentationis, a vario vuarum ſtatu, atque ab ipſo ſapore. Nam color, quo vinum gaudet, et varietas regionis, e qua prouenit, nec certas, nec perpetuas differentias ſiſtunt. Etenim nec perpetuo, nec quouis loco rubra vina magis roborant, atque adſtringunt albis, ſiue haec rubris magis aperiunt, et citant vrinas, tum vuae in eadem regione, imo in eodem ſolo ob diuerſum poſitum, aliasque cauſſas non eiusdem ſemper ſunt qualitatis, ac bonitatis. Perpetuae

petuae potius sunt differentiae, quae ab indicatis caussis nascuntur. Etenim vinum nimis recens ob nondum absolutam insensilem illam fermentationem, quae primae spirituosae manifeste succedit, cuius vi ab alienis, et crassioribus particulis, atque a tartaro liberatur, impurum, et turbidum est, atque ob inuolutum alcoolem minus generosum apparet, minusque gratum ac stomachum onerat, et ventrem inflat, aliasque molestias parit. Vetus autem purum, palato et stomacho amicum, ac spirituosum optimum est, vbi tamen aetatem ferat. Secus enim ob solutum nexum inter alcoolem, et resinosas ac gummeas partes infirmum, vapidumque vinum redditur, ingratum palato, ac multimode nocuum.

307. Quod si vinum parum fermentationis subierit, vel ab immaturis vuis expressum sit, ea affert mala, quae acerba, et austera inducunt: quemadmodum protracta nimis fermentatione, quae ad acetosam vergit, paratum acore nocet. Ipsa vero conditio vuarum, quae ad vinum conficiendum sumuntur, quantum afferat discriminis, quatenus plus minusue sacchari principia euoluta habent, ac magis vel minus commode fermentant, et copiosius, aut parcius alcoolem explicant, et cuique compertum est, et vel vnum declarat exemplum ex eo vino petitum, quod passum iam veteres appellarunt, quodque nunc etiam in variis Italiae, et Galliae prouinciis conficitur. Ex vuis enim, quae consuetam maturitatem adeptae vix decerptae, et communi methodo expressae, ac fermentationi expositae mediocris bonitatis vinum largiuntur, probe passis, vt vltimum maturitatis gradum consequantur, vinum paratur, quod ob imminutam aquae rationem ad caeteras partes, atque ob auctum sacchari principium, ac plenius alcoolem euolutum odoris suauitate, saporis praestantia, aliisque proprietatibus dulcia generosa vina aemulatur, quae magis probantur.

308. Quae autem in vino, quoad saporem, dissimilitudines praesto sunt iure a diaeteticis magni fiunt. Diuersa siquidem saporis indoles, qua vinum donatur, cum a varia copia, a diuerso nexu, a dissimili proportione, ac modo partium constituentium derivetur, eiusdem etiam vini praecipuas qualitates declarat. Sicuti enim ex saporis diuersitate licet constituere sacchari oxydim plus minus in vino vel copiosam, vel euolutam fuisse, ac carbonium vi fermentationis plus cum hydroginio, quam cum oxyginio coaluisse, aut vicissim, vnde maior, vel minor sit explicati tum alcoolis, tum acidi quantitas, licet etiam ex eiusdem saporis obseruatione eruere quodnam vinum excitandi, et calefaciendi potentia alteri praestet, quodnam melius nutritioni prospiciat, quodque ocyus diffletur, aut promptius cum vrina secedat. Quamobrem diaeteticorum plerique vina in totidem genera commode distinguunt, quot sunt in iisdem praecipua, quoad saporem, discrimina.

309. Primum vini genus dulcia constituunt, quae ob maiorem mucilaginis, et sacchari vim caeteris magis nutriunt, quaeque plus vel minus excitant, aut calorem euoluunt, prout alcoolem plus, vel minus copiosum, aut cum aliis principiis irretitum continent. Ad hoc genus pertinent plura Insubriae vina nouitia, quaedam, quibus parum adhuc aetatis accessit, ac nonnulla etiam annotina, quae quibusdam locis vuae suppeditant, atque alibi etiam suppeditarent, quoties maiorem maturitatis gradum, vel nondum collectae, vel iam auulsae ante musti expressionem consequerentur. Sunt interim sat dulcia, atque vna saporis suauitate in Insubria probata quae ex quibusdam Briantinis oppidis, *Tremonte*, et *S. Maria Ohe* etc., tum in Ducatu Mediolanensi e *Tradate*, et *Cislacu*, etc. proueniunt, quae ex vuis quibusdam colliculorum *S. Columbani* in Comitatu Laudensi fiunt, ac nonnulla etiam vina, quae ex

aliquot

aliquot transpadanis Principatus Ticinenſis collibus aduehuntur.

310. Caeterum eiusmodi Inſubrica vina denſitate partium inter ſe differunt, nec aetatem ſatis ferunt, aut ſi ferant dulcedinis plurimum amittunt, cui amaricans, et auſterus quaſi ſapor ſuccedit. Horum vero quaedam, etſi non leuibus viribus gaudeant, et rite confecta, probeque ſeruata guſtui iucunda ſint, ac feruida, et ſpirituoſa qualitate non careant, multo tamen meliora poſſent euadere vbi maius ſtudium, et noua induſtria ad ea paranda accederent. Tunc ſane, niſi poſſent illa vina attingere, quae ob ſummam dulcedinis iucunditatem, atque ob ingentes vires ex aliis regionibus huc aduecta magni fiunt, et caeteris praeſtant, cuiusmodi ſunt *Tokaienſe*, *Capenſe*, *Maderiacum*, *Malacenſe*, et *Frontiniacum*, quaedam *Hiſpanica*, nonnulla *Hetruſca*, maximeque *Leaticum*, et *Moſcatellinum*, quaedam Neapolitana, et Sicula, vt *Lacryma Chriſti*, *Muſcatum Siracuſae*, atque alia Italica bene multa, inter quae praeſtantiſſimum, et *Tokaienſis* aemulum *Piccolito*, niſi, inquam, cum eximiis vinis poſſent Inſubrica contendere, poſſent ſane adeo praeſtantia euadere, vt ab exteris minus inuite Inſubres temperarent. Temperarent enim vero, qui diuites, et ſplendidi aliena vina quaerunt, vt luxui indulgeant, aut delicati a ſuauioribus poculentis neſciunt abſtinere, aut ſenſu fibrillarum, quae guſtui proſpiciunt, ob feruidi potus, ac nimis ſapidi cibi abuſu infirmato nullam in vino gratiam ſaporis percipiunt niſi idem multarum virium exiſtat.

311. Aliud vini genus afferunt ea vina quae acidum, mucilagineam, et ſaccharinam partem, atque alcoolem eo habent modo, vt ſingula eiusmodi principia ſapor declaret, quaeque vina ex acido dulceſcunt, atque vna generoſa ſunt. Huius generis iudicantur vina Inſubrica plura, ac praeſertim alba non multae aetatis, atque ex iis, quae in montibus Briantinis parantur,

tur, ſpeciatim celebrari ſolent, vtpote ſapore valde iucunda ac ſpirituoſa, *Muſcatum album Galbiati*, et *Vinum montis Orobii;* quoniam vtrumque valde ſapidum eſt, ac generoſum. Nec deſunt Inſubribus vuae, e quibus innocua arte vinum poſſint conficere magis adhuc ſpirituoſum, imo e lagenis cum ſpuma erumpens, et linguam, ac fauces feriens inſtar *Campanici:* quod ſumme excitans vires reſtaurat, ac ſi quando temulentiam inferat, eam breuem, et laetam inducit.

312. Iſtis tamen vinis acido-dulcibus cum caput prae caeteris tentent, in communi potu, quoties copioſus conueniat, parum tribui ſolet, niſi eius indolis ſint, vt aqua largiter diluta gratiam ſaporis non amittant, quemadmodum ea Inſubrica vina non amittunt, quae ſalſa, ac tenuia vulgo nominantur. Secus fatendum e[s]t quotidiano paullo largiori vſui ea rectius inſeruire, quae leniter auſtera guſtui videntur, quia cum ſapore modo acidulo, modo acido-dulci auſteritatem habent coniunctam, qua praeter alios vini effectus laxitatem emendant, ſtomachum roborant, ac totius corporis vires confirmant. Ad hoc vini genus pertinent non pauca, quae habet Inſubria, inter quae maxime celebrantur in Ducatu Mediolanenſi vinum *Montis Veteris* plenum, ſubamarum, gratum, generoſum valde expetitum, vina *Appiani*, *Variſii*, et *Tradatis*, quae multis praeſtant; tum vina *Marliani*, *Canturii*, *vallis Macrerae* auſtera, craſſa, et fumoſa; tum maxime *Buſti minoris*, *Mondonici*, et *Tritii*, prorſus eximia, praeſertim trima, aut quadrima. Ad haec accedunt nonnulla Nouocomenſia modice auſtera, aut ſubamara, quae e *Cauallaſca*, *Geronico*, et propioribus *Variſio* montibus proueniunt, tum ea vina adhuc magis generoſa, et ſapore iucunda, quae *Garzolae* collis ſuppeditat. Neque ſilentio mitti debent, quae ad hoc genus ſpectantia vina Laudenſis Comitatus habet; quoniam alba quaedam vina e colliculis *S. Columbani*, ac

ſpecia-

ſpeciatim quae vulgo *maluatica* dicuntur, ſapidiſſima, et ingentium ſunt virium, tum prorſus eximia, et quae cum exteris quibusdam vinis queant contendere illa, quae *Scambrae*, et *Galgagnani* nuncupantur. Porro eiusmodi omnia vina eas habent qualitates, et vires, vt iure debeant commendari, imo vbi maior in iisdem conficiendis diligentia adhiberetur, ac melior vuarum fieret delectus, breui Inſubres nec eximium illud vinum, quod a monte *Politiano* denominatur, Hetruſcis inuiderent, nec *Nicaenſe*, aut *Burgundicum* exoptarent: quemadmodum iam eſt euictum, ac latius conſtaret vbi tam arduum non eſſet cogere ruſticos, vt ab eorum vſibus recedant, atque allicere dominos, vt qualitati potius, quam quantitati conſulant.

313. Vltimum denique vini genus ea complectitur, quae ob copioſius, aut magis explicatum acidum, ac ſupra reliqua principia eminens grate acidula guſtui apparent. Haec reliquis vinis ſitim melius compeſcere, magis diluere, promptius, ac certius vrinam ciere, atque ipſi putredini potentius aduerſari omnes fatentur. Vina huius cenſus in Inſubria non deſiderantur, quae ob mitem acorem guſtui, et ſtomacho idonea ſint, atque aetatem nacta, qua meliora euadant, inter manducandum cuique conueniant, qui acido ſtomachi obnoxius non ſit. Etſi enim vltro concedam nullum nobis ſuppetere acidulum vinum, quod *Rhenanum* tenue, neruos, viresque reficiens, aliisque qualitatibus probatiſſimum, tum *Moſellanum*, aut *Auſtriacum* multae aetatis, vtrumque nobile ſane vini genus, queat attingere; ſuppetit tamen, quod acidulum vetuſtatem ferat, ac trimum etiam ſat generoſum ſit, vt vires recreet, ac ſanitatis conſeruationi proſpiciat. Hoc vinum firmum, ſapidum, et generoſum illae vuae largiuntur, quae in Ducatu Mediolanenſi e *Peſſano*, et *Buſſero* proueniunt. Ab hiſce vero vina quae parantur in monte *Nauae*, aliisque collibus Briantinis, qui

ſeptentrionem ſpectant, differunt etiam ex eo, quod parum durabilia vix horna fiant; tum maxime ab iisdem differunt acida quaedam vina prouinciae Nouocomenſis, qua Briantinis montibus opponitur, et qua parte valli Telinae propior eſt: quoniam eadem, niſi nouitia hauriantur, infirmi ſaporis ſunt, ac nequeunt aeſtate conſiſtere.

314. Quodcumque tamen vini genus vſurpetur ſedulo animaduertendum eſt, ne vel ad eius acuendum ſaporem, neve ad ipſum diutius conſeruandum, neue ad vitium aliquod eidem adimendum vnquam coloris, aut ſaporis cauſſa iis artificiis mangonizatum ſit, quae ſaluti ipſum reddere queant infenſum, vt ex *incenſo ſulphure*, *oxyde plumbi vitrea*, eiusque praeparationibus accidit. Quod etſi apud nos accidere raro ſoleat, curandum ſaltem eſt, ne eiusmodi vitio, quod grauiſſima mala, ipſamque perniciem minitatur, et infert, ea vina laborent, quae a longinquis regionibus ad nos vsque aduehuntur. In hunc finem eſto diaeteticum conſilium: quisque, cui ſuae ſalutis cura cordi ſit, ſibi metipſi vinum parandum ſtudeat, aut, ſi ipſum a mercatoribus emat, eius integritatem, ſalubritatemque diligenter iis rationibus prius exploret, quae ex Chemia petitae quoduis veneficae mangonizationis genus patefaciunt. Maxime vero vtatur cum Ill. Fourcroeo ad *oxydim plumbi* detegendam aqua ſtillatitia, quae contineat *gas hydroginium ſulphuratum*, vel *hepaticum* e *ſulphuribus alcalinis* ſolidis ab acido euolutum.

315. Saluti etiam officere dicuntur ii liquores, qui diſtillationis ope e vino, eiusque faecibus, e cerealibus, ex arundine ſacchari, e quibusdam fructibus, aliisque ſpirituoſam fermentationem iam paſſis eliciuntur, ac poculentorum numerum augent. Hi quippe liquores, inter quos praecipui ſunt *Spiritus vini*, *Spiritus frumenti*, *Spiritus ſacchari*, et *Spiritus ceraſorum* vino plus excitant, magis obſtruunt, ventriculum, et neruos validius

validius ſtimulant, ac calefaciunt etiam parce adhibiti, vel aqua diluti, vel ſaccharo edulcati; imo largiter, aut crebro aſſumpti, praeſertim meraciores, aeſtum inferunt, ſanguini acredinem tribuunt, viſcera obſtruunt, neruorum imbecillitatem, aliaque mala adducunt.

316. An itaque eiusmodi liquores ab omni vſu erunt excludendi? Ita quidem arbitrantur, qui damna non exigua eorum etiam rariorem vſum concitare exiſtimant: quod minus verum. Etenim hi diſtillati liquores ſuis quoque vtilitatibus non carent, ac praeter illas, quas afferunt a vino non diſſimiles, excitant, ac roborant quin nutriant, nec in acorem tranſeunt, viresque erigunt, ac parce, et raro adhibiti, mitioremque indolem ſacchari, aut aquae additamento conſequuti noxa generatim vacant, ac quibusdam in caſibus proſunt. „Miteſcunt quidem aliquantum, et obtun„duntur, inquit Ill. GREGORY, in potu noſtro *Punch* „non modo multa aqua diluti, ſed cum ſaccharo ſimul, „et ſucco pomorum quorundam commixti. Sed tum „nihil peculiaris commodi habent; nam liquor ille ſicut „vinum, ſed magis adhuc in ventriculo aceſcit, et toto „corpori magis nocet *)".

317. Quare hic potus, qui *Polopuntia* vocatur, apud nos rariſſime vel in morbis vſurpatur, quando ſpirituoſa potione ſudorem mouere oporteat, et quidem copioſa aqua dilutus ne inebriet. Rectius proinde quotidiano vſui, vbi ex acido dulcis potio expediat, et aeſtum temperans, corpus reficiens, ac putredinem auertens conveniat, quouis anni tempore, ac maxime aeſtiuo omnibus ſane poculentis ſaporis ſuauitate, et ſaluberrima indole palmam praeripit illa, quae ex aqua, ſucco citri, aut limonii, et ſaccharo conficitur. Haec enim, niſi acor in ſtomacho, aliisque locis haereat,

*) Op. cit. n. 1036.

reat, vel nimis liberaliter, atque intempestiue hauriatur, cuique fere prodest. Ipsa potius aqua, ac quaelibet alia acido fructuum succo, et saccharo condita non omnibus confert quando vitro in niues demissa refrigerata sit, aut gelu concreta sorbillum praebeat, quod suauissimum aestiuis maxime diebus nobis in deliciis est. Etsi enim gelidus potus, aut sorbillum glacie concretum, vbi rite paretur, stomachum, et totum corpus roborando debilitatem, laxitatemque, quam immodicus aeris aestus affert, tuto auertat, vel ex eo iam fractas vires restauret; attamen ob nimium atque insolens frigus quibusdam nocet, et stomachum infirmat, aut grauissime laedit, si nimia copia, vel aestuante admodum corpore sumatur.

318. Minus autem stillatitiis liquoribus sunt pertimescendae tres illae vsitatissimae potionis species, quae ex foliis *Theae*, siue *boheae*, siue *viridis*, ex seminibus *Coffeae arabicae*, atque ex nucleis *Theobromae cacao* parantur. Nisi enim nimis saepe, nimisue copiose hauriantur noxa carent, imo non raro salutis conseruationi commode inseruiunt. Porro cuique notum est e frutice *Theae* tum *boheae*, quae in China, et Iapone colitur, tum *viridis*, quae in China pariter germinat, folia teneriora decerpta, atque, vt narcoticum virus exuant, torrefacta, conuoluta, exsiccata, ac per annum clausis in vasis detenta in Europam deportari; eadem vero folia huc allata iam fusca, raro integra, fragrantia esse, et subacerbo sapore non destitui, vbi optimae notae sint, neque protracta in aqua mersione, antequam torrefiant, neque nimia aetate, neque aliis de caussis suas proprietates magna ex parte exuerint; tum ex iisdem foliis feruidissima aqua inditis infusum Sinensium more parari, qui addito saccharo gustui gratus euidenter roborat, vrinas citat, aut cutis exhalationem vsque ad lenem sudorem mouet, dummodo idem infusus ex optimis foliis paretur. Secus enim

enim tum viribus, tum gratia saporis destituitur, quemadmodum eiusmodi proprietates non attingit quoduis infusi genus petitum ex iis stirpium, siue exoticarum, siue indigenarum foliis, quae Theae chinensi succedanea censentur, quaeque solent vsurpari iis in casibus, in quibus, vt sequenti capite dicam, theae potus conuenire videtur.

319. De potu vero coffeae dicturus non hic proferam, quae ad *Coffeae arabicae* in Arabia felici, atque Aethiopia sponte crescentis, ac nunc in America calidiore excultae propagationem, et culturam pertinent, vel ad modum attinent, quo e fructuum thecis semina denudari, exsiccari, ac praeparari solent. De hisce enim omnibus BOERHAAVIUS, AUBLETUS, NIEBUHRIUS, SILANDRIUS, aliique fuse disserunt. Neque methodum exponam, qua Arabes ex duplici tegumine e fructibus separato vno fusco magni facto, altero flauicante probe tosto potum parant, tum maxime ex primo, qui potus Ill. MURRAYO *), et mihi etiam gustanti ingratus videtur; neque rationem minutim describam, qua nos ex seminibus ferrea sartagine occlusis, atque ad ignem versando tostis donec oleum exsudet, quin comburatur, ac confestim versatili mola in puluerem comminutis cum aqua infusum, seu leue decoctum fere omnibus expeditum conficimus. Etenim prior methodus ab indicatis scriptoribus traditur, altera vero vtpote vulgatissima cuique innotescit. Neque demum varia expendam *coffeae* succedanea hac aetate proposita, de quibus egit imprimis vir ingenio, et doctrina praestantissimus Ill. WEICKARDTIUS **); cum certo sciam tum alienis, tum propriis experimentis infusum ex verae coffeae seminibus rite paratum suauitate saporis, et virium praestantia hactenus inuectis succedaneis

*) Apparat. Med. T. I. pag. 390.
**) Succed. Coffeae inueniend.

daneis potionibus plurimum antecellere. Quod quidem insigne discrimen magis adhuc mihi nuper innotuit eiusmodi succedanea poculenta ex radice Cichorei, ex Hordei seminibus, aliisque accuratissime praeparata studiose comparanti cum infuso, quem confeceram ex probatissimis coffeae seminibus ex Arabia petitis, quae vir summus, et Collega mihi coniunctissimus SPALLANZANIUS ex Constantinopolitano itinere redux dono dederat.

320. Itaque solum dicam eiusmodi potum, qui ex duabus puluerís drachmis in quatuor, aut quinque vnciis aquae feruidissimae infusis plerumque conficitur calidum, et saccharo conditum, secus quam Orientis populi soleant, qui purum hauriunt, saporis, odorisque gratia plerisque in deliciis esse, atque in secunda valetudine rite administratum egregios effectus edere. Nam stimulando solidorum languentes vires excitat, tristitiam, et somnum arcet, roborando aluum, si mane assumitur, sollicitat, ac digestiouem, si post cibum sorbillatur, ex stomachi languore retardatam, propulsionemque alimentorum adiuuat, tum haec a corruptione, aut fermentatione tuetur, atque inde, vel ab interaneorum debilitate ortis incommodis medetur; inflationes ex aere discuti, atque opii *), et similium virus eneruat; attenuando vrinas ciet, atque a sabulis, minoribus calculis, eorumque recrementis renes, et vesicam liberat; perspirationem mouendo alui fluxum, aliaque ab eius imminutione profecta mala facile tollit; ac denique exsiccando, et corpus nihil fere nutriendo ob nutritiam olei vim fere omnem vstulatione amissam, obesitati aduersatur, vel iam natam tuto corrigit. Caeterum suis et ipse coffeae potus noxis non vacat, vt deinde monebo.

§ 21. Nunc

*) Op. Therap. Op. VI.

321. Nunc potius illam indicabo nectaris ſuauiſſimam ſpeciem, quae *cioccolotam* in aqua ſoluendo efficitur. Eius nomine venit materies inſtar butyri educta e nucleis *Theobromae cacao* arboris in Mexicano regno, Guiana, Caienna, aliisque Americae locis creſcentis, cum ſaccharo, aromatibus, aut vanilla in panes, vel nodulos, vel tabellas concreta. Qua vero arte e nucleis, inter quos e *Zocconoſco*, et *Caracca* eximii cenſentur, iam e fructibus exemptis butyrum, ſeu oleum educatur, ac cioccolata paretur latere poteſt neminem in Inſubria, vbi tam eximia cioccolata conficitur, vt ad exteras gentes quotannis abunde mitti ſoleat, ac gratam plerisque quotidianam potionem praebeat. Qui enim artifices in eiusmodi opere verſantur e nucleis in igne fragrantibus, teretibus, ouato-oblongis, ſubcinereo cortice fragili obtectis, et gryſeo puluere conſperſis incluſam medullam gryſeam, pinguem, non ingrate amaram, mucagineam, et valde oleoſam probe ſciunt educere, atque in butyrum reſoluere, quin ab igne empyreuma ſuſcipiat. In hunc finem nucleos leuiter vſtulatos, et tritos, vt diffracti corticibus exuantur, atque iterum leuiſſime toſtos, ne nigreſcant, ſuper marmoreum planum inclinatum, longitudine ſubcuruum, latitudine ſtriatum lapideo cylindro diffringunt, quaſſant, et tamdiu terunt, donec vi ignis lapidi ſuppoſiti reſolutum butyrum concreſcat; ipſum deinde probe attenuatum, et deliqueſcens ſaccharo edulcant, ac cinnamomo apte conditum magis adhuc, ſi lubeat, fragrans addita medulla ſiliquae *Epidendri vanillae* efficiunt, ac poſtquam denuo terendo rite ſubegerint ope laminularum ex ferro ſtanno obducto in tabellas conformant, vt frigeſcens facile exſiccetur, ac dureſcat.

322. Hoc modo cioccolata conficitur, quae dein in feruida aqua ſoluta ea proportione, vt vni eius vnciae quinque aquae affundantur, poſt coctionem

nem verticillo ſubacta ac partim ſpumeſcens in vaſculum ad id aptum demiſſa adhuc calida exiguis hauſtibus ſorbillatur: quod apud nos creberrime fit. Eiusmodi quippe potus quouis anni tempore, imo quauis die plerisque cum pane fruſtillatim ſecto ientaculum ſuppeditat nobiliſſimum. Hoc quippe potionis genus ex cioccolata confectum, quae nec nimium aromatum contineat, nec minus habeat, quam deceat, valde nutrit, innocue ſtimulat, ſtomachi, et totius corporis vires erigit, demulcet, aluum laxat, et non paucis, vt alibi dicam, ſummopere confert.

323. Haec erant de iis potionis generibus monenda, quae a ſanis ſolent aſſumi, quae quidem, ſaltem aliqua, chronica etiam, atque acuta paſſione detentis generatim expediunt. Nam in longis morbis, interdum in celeribus ipſis, in quibus nec febris, aut ſaltem valida, adſit, nec inſigne aliquod vitium corpus occupet, quod prope ſit ab exitio, nec ſingularis acrimonia occurrat, raro potus requiritur, qui affectui ſpeciatim medeatur. Laboranti quippe potio, qua ſanus vtebatur, nempe aqua fontana recens, et pura generatim ſufficit, quae vt iam dixi, (§. 303.) per ſe ad plures vtilitates praeſtandas inſigniter valet, vel paucorum ſaltem additamento indiget, ac plerumque frigida, et raro calida, aut tepida conuenit. Quod ſi interdum expediat in chronicis, lentisque affectibus ea aegris commoda potu afferre, quae ipſe in acutis praeſtat, pars artis erit potiones iſtis perutiles vſurpare.

324. In ipſis porro celeribus paſſionibus, in febribus validioribus, atque in acutis, ſiue inflammatoriis, ſiue putridis ac malignis morbis multae quidem proponuntur, atque a Clinicis vſurpari ſolent medicatae potiones; ſed neque omnes ſatis tenues, leues, et gratae ſunt, neque pleraeque eos ſingulos ſalutares effectus edunt, qui in eiusmodi aegrotationibus quidam infirmis,

quos

quos nutriunt, fidenter promittunt. Mihi sufficere videntur generatim tenues ptisanae ex seminibus *Hordei vulgaris*, aut *Auenae sativae*, melle, aut oxymelite, vt consueuerat HIPPOCRATES, conditae; hydromel, melicratum, aqua mulsa; aqua pane madida; decocta e radicibus *Cichorii intybus*, et *Tritici repentis*, seu *Graminis*, ac similium stirpium; aqua ipsa medicata cum succo *Citri limonii*, aut *aurantii*, siue *Rubi idaei*, siue *Ribesii rubri*, tum saccharo, aceto, aut vino, tum acidis ipsis fossilibus, quae quidem singula pro diuerso medentis consilio aquae adiecta saporis gratiam, et alias quoque proprietates eidem tribuunt; emulsiones admodum dilutae, et tenues, quae parantur ex tusis amygdalis dulcibus, atque ex seminibus, quae frigida maiora vulgus nominat, nempe tum *Cucumeris*, siue *Melonis*, siue *satiui*, tum *Cucurbitae*, siue *Melopoponis*, siue *Citrulli*; atque ipsum denique lactis serum.

325. Praestantissimum porro eiusmodi potionis, et remedii genus, quatenus modice nutrit, temperat, diluit, abstergit, resoluit, vrinas saepe mouet, aluum interdum ducit, ac facile acescens putredinem arcet, in morbis non paucis, in febribus aestu nimio coniunctis, ac maxime in morbis inflammatoriis quotidiani instar potus largiter assumptum, nisi stomachus ab eius vsu repugnet, mirifice prodest, ac plerumque caeteris potionibus praestat. Qui sane omnes ipsius seri salutares effectus ab eius principiis, maximeque a sacchari oxyde, e qua *Saccharum lactis* plerisque valde commendatum, nec apud nos exoletum remedium exsurgit, facile explicantur, omniumque medicorum consensu iamdiu admitti consueuerunt.

326. Detur autem simplex, neque cum cichoreaceis, antiscorbuticis, aut similibus herbis incoctum, neque vnquam distillatum. Nam distillatio fere vires plane adimit, et licet hoc modo non acescat, nihil medicamentosi retinet, quo praestet aqua, tum ab addi-

tis remediis aliis plurimum virtutis amittit, atque alienas sibi facultates assumit. Detur praeterea, vt REDIUS optime monuit, panno laneo solummodo percolatum, et tepidum, nec proinde vel decoctum, vel oui albumine subactum, acidisue admixtum, vt medicorum quidam praecipiunt, cum hisce modis, ipsaque coctione seri efficacia eneruetur.

327. At satis de poculentis, quae tum in secunda, tum in aduersa valetudine vsurpantur. Caetera enim, quae de Ceruisiae, potibusque extra vinum aliis a diaeteticis expendi olim consueuerant, quaeque summa eruditione MEIBOMIUS inter caeteros ex omni etiam antiquitate collegit *), cum insueta nobis sint, hic loci non erant. Nobis quippe, si vinum absinthites mittimus, quod stomachum roborat, eoque irritato ciborum desiderium facit inusitata prorsus sunt pomaceum, pyraticum, cydoneum, puniceum, palmeum, ac caetera vini genera, quae ex mespilis, siliquis, sorbis, cornis, moris, pineis, ex ficubus, aliisque vel antiquitus parari consueuerunt, vel nunc etiam a quibusdam Gentibus fiunt. Caeterum quam mira humana solertia non extitit in eiusmodi potionibus inueniendis? Cum ea sane inuenisset, quemadmodum aqua quoque inebriaret, in poculentis vino similibus postea conficiendis tam ingeniosa euasit, vt eam summopere admiraretur PLINIUS sua iam aetate ad bibendum generibus centum nonaginta quinque, speciebus vero pene duplici numero excogitatis **).

*) De Ceruis. vet. etc. Comm.
**) Lib. XIV. cap. XXII.

CAPUT

CAPUT VIII.

De recto cibi, et potus vſu in ſecunda, et aduerſa valetudine.

328.

Expoſitis omnibus, aut ſaltem praecipuis, quae ad eſculentorum, et poculentorum genera attinent, ſupereſt, vt modo tradam, quaenam tum ſanis, tum aegris cibi, potusque ratio conueniat, qua illi incolumes diutiſſime ſint, ac firmi ad vltimam vsque ſenectutem perueniant, iſti vero morbi impetum ſuſtineant, eoque iam exhauſtas vires reſtaurent, ac promptius, certiusque conualeſcant. Parum ſiquidem referret, vt pluries iam dixi, ſiue bene valentibus, ſiue morbo implicatis nouiſſe cibi, et potus differentias, qualitates, et vires, niſi vtriusque vſus temperamento, aetati, vitae generi, et conſuetudini, tum aegritudinis naturae, cauſſis, atque effectibus recte accommodaretur, quoad indolem, quantitatem, modum, ordinem et tempus. Cum igitur ſedulo oporteat potiora praecepta attingere, quae ad optimum cibi potusque vſum ſpectant, proferam primo loco, quae in ſecunda valetudine ſeruanda ſunt, deinde ſubiungam, quae tum acuta, tum chronica paſſione laborantes reſpiciunt.

329. Primum autem moneo quoduis generatim alimentum, quod noſtra aetate, ſiue apud magis cultas Europae gentes, ſiue maxime apud nos menſis apponitur, innocuum exiſtere, cum per ſe noxa careat, ac nocendi poteſtatem, vt ſapientiores diaetetici tradunt, non a propria natura, ſed a ſingulari ſumentis proprietate, et conditione, aut intemperantia ipſum accipiat. Hinc, vt quoduis alimentum ea ratione cuique accommodetur, qua plane innocuum, imo ſalu-

berrimum euadat, praeter generales eiusdem qualitates, ad eius singulares, quos in eo, cui dandum sit, effectus edere queat, perpetuo respicere oportet. Interim vnum est in hac re tutissimum praeceptum, quod afficit omnes bene valentes, quod scilicet tuto monet, vel ab ipsa natura esse constitutum, non sine periculo quemque in vno, licet optimum eidem videatur, alimenti genere diu posse persistere; tum omnimodam, siue ab animalibus cibis, siue a vegetabilibus abstinentiam saluti non prodesse, ac plurium aerumnarum caussam afferre (§. 146. 147.); tumque maximam instaurationis partem, seu ciborum vim ab ipsis vegetabilibus generatim esse desumendam.

330. Quisque igitur cibum praesertim sibi comparet ex iis nutrientibus vegetabilibus varia ratione, qua simplicissima eorum indoles non labefactetur, praeparatis, quae iam fuse proposui (§. 150. et seq.), ex cerealium scilicet stirpium seminibus, ex mollibus oleribus, ex tutioribus leguminibus, ex fructibus horaeis, aliisque herbis, frugibusque; atque iisdem scite, prudenterque carnes, et succos animalium esculentorum admisceat, quae tutiora, salubrioraque sunt, speciatim deligendo, atque ea ratione praeparando, eaque copia sumendo, quae sanitatis conseruationi iucundius, et certius prospiciat. Omne nempe, cum vtriusque generis alimentum desumitur, studium in eo esse debet, vt illud deligatur, ex quo facilis digestionis, optimi succi, et salubris nutritionis cibus exsurgat. Quod quidem fit, vbi ea proportione vegetabilia, et animalia esculenta sumantur, quae singulorum salutares qualitates conseruet, ac maiores efficiat, vitia, si quae adsint, emendet, ac vicissim oppositas eorum vires contemperet, eorumque actionem eo dirigat, vt tutam, iucundam, ac saluberrimam corporis nutritionem adducat.

331. Cum

331. Cum autem nulla alia ratione melius, certiusque eruatur num alimenti genus eiusque vis salutis tutelae, viriumque reparationi satis prospiciat, quam obseruatione eorum, quae ab assumpto cibo tum in stomacho, tum in vniuerso corpore nascuntur, quouis in casu tutissimum erit ex iisdem discere, qui cibus conueniat, quaeque eius copia conducat. Ergo illa omnia, quae, vt alibi tradidi, (§. 143. 144.) cibos rite, et facile concoqui, ac probe concoctos optimum chylum suppeditasse, optimamque nutritionem praestitisse significant, quisque sedulo expendat, atque hoc modo tutius, quam ex medico, aut iatralipta per se discat quaenam alimenta ipse debeat assumere, quae vitare, quando cibo egeat, aut abstinentia, qua maxime forma, aut praeparatione eidem expediat, atque alia, quae ipsius coctionis effectus luculenter declarant.

332. Generatim tamen vtile videtur monuisse sanguineam, ac bilioſam temperiem nactis, quae diluunt, temperant, laxant, et parcius nutriunt alimenta conducere; phlegmaticis, quae excitant, calefaciunt, atque vrinas citant, magis prodesse; obesis pinguia, crassa, et valde nutrientia non conuenire; quae contra macris, atque exsuccis apprime conferunt; itemque pueris, et senibus cibos leuioris, ac facilioris coctionis atque humectandi proprietate donatos parce, at crebro assumptos vtiles esse; adultis vero minus leues, non illico solubiles, siccos, et solidam formam habentes, et rarius, sed maiori copia ingestos. Victus pariter leuior, et tenuior debilibus, sedentariis, mentis lucubrationibus deditis, ac mollem vitam ducentibus commodat, dum plenior, et valentioris generis perutilis est, ac necessarius iis omnibus, qui valde exercitatam vitam ducunt, qui grauibus laboribus incumbunt, firmamque vel a natura, vel a viuendi modo corporis constitutionem sunt consequuti. Consuetudo denique propriam obseruationem sibi adeo vindicat, vt cum

 mutare

mutare quisquam velit paullatim ex Celsi etiam consilio debeat assuescere, ne secus grauissime laedatur. Insolitum enim victum, seu bonus sit, seu malus, naturae molestum esse medici omnes tum veteres, cum nuperiores quotidiana experientia suffulti docent.

333. Dum vero in cibo modus seruatur non minori studio indiget ratio potum vsurpandi, siue ex aqua, siue ex alio quocumque liquore sumatur, ac vel per se, vel cibis interpositus hauriatur, Etenim aquam, quod respicit, non vna eius qualitas est, quae obseruationem in valetudine ob quamplures causas (§. 295. 303.) requirat; sed eam quoque quantitas postulat. Etsi enim arduum sit, ac fere impossibile copiam aquae statuere, quae quauis die cuique conueniat, cum pro varia humorum indole, pro diuerso temperamento vitaeque genere, proque dissimili assumptorum natura parcior, aut vberior potus expediat; attamen eum perpetuo oportet ita vsurpare, vt nullum tum in defectu, cum in excessu peccatum committatur. Nam, vbi minus, quam deceat, potionis assumatur, ea bona, quae potus affert, corpus non sentit, atque humoribus nimis alcalescentibus, acribusque redditis, atque inspissatis, ipsaque ciborum concoctione multimode perturbata non parum laeditur. Nimius vero potus, cum succorum digestioni famulantium potentiam valde imminuat, stomachum relaxet, atque alimenta, antequam penitus conficiantur, ad intestina detrudat, atque e corpore nimis cito subducat, noxa, aut saltem periculo non caret.

334. Vsum vero, quod respicit Ceruisiae, et Vini, scire iuuat illam, cum vino plus nutriat, macilentis, macris, ac boni sanguinis inopia laborantibus vino melius conducere, cumque minus stimulet, et calefaciat eodem tutiorem, salubrioremque iudicari aestiuis diebus assumptam, minusque iis alienam, qui aestu corporis, acrimonia, ac nimia fibrarum sensilitate, irrita-

bilitate-

bilitateque donantur. Hiſce quippe vinum nocentius eſt; quia magis ſtimulat, excitat, atque calefacit. Quamobrem iure praecipiunt diaetetici, vt infantes, et pueri a vino abſtineant, vt eodem fidenter vtantur, qui laxo corporis habitu praediti ſunt, fero turgent, ac nimiam pinguedinem habent, ac parum ſenſiles exiſtunt, tum vt ſenes ipſum bibant, ſed parcius tamen, quam vulgus exiſtimet. Vinum enim cum largiter epotum, maximeque meracius, ſolida rigida efficiat, praematurum corporis decrementum in iisdem non poterit non adducere.

335. Verum ad omnem ex vino noxam declinandam niſi quis velit abſtinere, praeſtabit cuiusque naturae opportunum deligere ex iis generibus, quae iam indicaui (§. 309. etc.), quod magis mite ſit menſis apponere, vbi conſueto potui debeat inſeruire, vel generoſum, et craſſum ſi forte videatur, aqua ſatis diluere, ac perpetuo modice vſurpare quaſi ad vires potius digeſtionis excutiendas, atque ipſius opus adiuuandum, quam ad ſitim ſedandam, ad diluendos humores, atque ad cibos ſoluendos hauriatur. Etenim merum et continue, copioſeque aſſumptum faniſſimis etiam, ſi pauci admodum excipiantur, lentum venenum euadit, eo quidem peruicioſius, vt iam vir ſummus MACQUERIUS *) monuerat, quo ſuauius eſt, atque ab eius abuſu, quoties ceperit, difficillime, ac nunquam fere recedatur. Nonne enim ab eiusmodi cauſſa, praeter ſoporem, et apoplexiam, quae interdum temulentiam ab eo inductam excipiunt, plura mala quemque pedetentim corripiunt? Nonne ex ea virium languor, artuum tremores, imbecillitas, ſtupor, paralyſis, atque iecinoris, et meſenterii obſtructiones, quas immedicabilis plerumque hydropiſis ex-

 cipit?

*) Dictionnaire de Chymie. Vol. IV. art. Vin.

cipit? Nonne ex ipsa pariter caussa podagra, et reliqui arthritici affectus, ac renum, et vesicae morbi vel concitantur, vel saeuiunt atrocius? Nonne denique praecox senium immatura pariter morte finiendum?

336. Cum tot quidem, tantaque mala non modo a largiore, ac crebriore vini vsu immineant, imo eadem interdum quibusdam non parcant, qui vinum nec largiter, nec purum, imo cum aqua ex consuetudine quotidie bibunt, vtilissimum arbitror monere, quibus notis, quas opportune MACQUERIUS adducit, quisque possit tuto coniicere nisi subito, tarde saltem ei vinum nociturum. Quas quidem notas ideo magis refert nouisse, quod plerumque damna, quae vinum affert non illico, sed paullatim, ac post diutinum tempus se exserant, cumque se produnt, omnem fere medicinam respuant. Scire igitur interest iis praesertim infensum vinum futurum, qui eo vel mediocriter epoto vinosum halitum spirant, lene acidum ructant, et capite leuiter dolent, vel largiter ingesto stupidi quodammodo, nauseabundi, atque ebrii fiunt, ipsaque ebrietate non hilares, loquaces, et feruidi, sed melancholici, tristes, et taciturni, aut irrequieti, rixosi, et cholerici euádunt, ac quadam specie furoris tentantur.

337. Quam raro vero potus e fermentatis liquoribus distillatione eliciti, maxime apud nos, vsurpari possint impune, etiam si edulcati, atque exigua admodum copia vsurpentur, imo quomodo obsint plerisque ex iis, quae de eorum qualitatibus, atque effectibus iam attuli (§. 315-316.) tam perspicue declaratur, vt arbitrer modo satis esse quemque monere, vt ab iisdem, si pauci casus excipiantur, generatim abstineat. Vtinam vero ab iisdem abstinerent ii inter artifices, atque agricolas, qui ieiuno adhuc stomacho gulae irritandae caussa eiusmodi potus fere quotidie assumunt, vel si rarius hauriant nec satis edulcatos, nec parcissime bibunt! Vtinam pariter, qui rebus omnibus affluentes laute

laute viuunt, frigida potius aqua, quam feruidis hiſce liquoribus prandium includerent, quibus ad ſtomachi onus leuandum, ad coctionem expediendam, maximeque ad protrahendas guſtus voluptates quotidie abutuntur. Illi enim ſtomachum, aliarumque partium vires non laederent, iſti digeſtionis opus nimis cito e ſtomacho ingeſta ſubducendo non peruerterent.

338. Reliqua vero, quod reſpicit poculenta, atque illa ſpeciatim, quae Theae, Coffeae, ac Cioccolatae potus ſanis largiuntur, (§. 318.) ſunt, qui credant generatim tuta, et ſalutaria, dum alii plerisque nocua eſſe arbitrantur. Porro theae infuſum ſunt, qui noxium fere omnibus cenſeant, quoniam ventriculi, inteſtinorumque laxitatem, neruorum debilitatem, vigilias, conuulſiones, tremores, paralyſes, aliaque mala, quae abuſus affert, ab eo metuunt, dum alii, quatenus ſitim reſtinguit, excitat, humorum recrementa eluit, ac per cutim, aut renum tubulos amandat, obeſitatem arcet, ac calculorum generationi aduerſari dicitur, tutiſſimum potum perpetuo iudicant. In hac re conſuetudo, temperies, coeli ratio, regionis natura, aliaque huius cenſus, etſi non exiguum diſcrimen afferant, arbitror tamen toties alienam eſſe eiusmodi potionem, quoties nulla aut tuendae, aut reſtituendae valetudinis cauſſa praeſto ſit, quae eam vtilem, vel neceſſariam declaret. Si enim demulcendum ſit, ac corpus vna reficiendum theae infuſum cum lacte, et ſaccharo commode datur, quemadmodum purum exhibetur, quando excitare, et ſtimulare oportet, addito interdum, ne plus aequo irritet, ac nouam ſaporis gratiam ſuſcipiat, ſucco limoniorum.

359. Maiora tamen bona ſano corpori affert Coffeae potus (§. 319. 320.) ipſum perſaepe a morborum quorundam cauſſis, vel iam euolutis feminibus muniendo, dummodo raro, nec vnquam liberalius, quam deceat, vſurpetur. Quotidie namque eiusmodi

potus assumptus, vel sine vlla necessitate haustus non poterit profecto stimulando, et calefaciendo non stomachum laedere continua irritatione, ac muco resoluto, nerueas, et carneas fibras non lacessere, acres reddere humores, inopportune calorem euoluere, ac circuitum sanguinis intendere, euacuationibus excitis alimentum subtrahere, aliaque efficere, quae a potu calido, et maxime ab oleo aromatico, amaro, atque empyreumatico proueniunt. Ab imprudenti siquidem huius potionis vsu non pauca incommoda praesto esse experientia satis superque euincit, etsi ea plerumque ob consuetudinis vim nonnisi tarde se prodant, aut tam parum manifesta initio sint, vt donec morbus non ingruat, animaduerti non soleant.

340. Haec perspicua maxime fiunt in iis qui neruorum debilitate laborant, aut eorum nimis exquisito sensu donantur, qui irritabiliores carneas fibras nacti sunt, gracilioremue corporis temperiem, qui ad maciem inclinant, hysterico, aut hypochondriaco malo obnoxii sunt, haemorrhoidibus subinde tentantur, acres habent humores, atque ad morbos neruorum maximeque ad eorum resolutionem inclinant, ad inflammationem dispositi sunt, atque aegre somnum capiunt, et vigiles noctes traducunt. Hisce quippe coffeae infusus anxietate, palpitatione, tremore, aestu, debilitateque inducta, vel illatis malis, ad quae eorum corpora tendunt, quantum noceat epotus, praesertim si meracior sit, crebro assumptus, aut copiose haustus, Clinicorum obseruationibus iamdiu innotuit. Ergo hi omnes ab eius vsu caueant, nec sibi persuadeant stimulantes, calefacientes, et reliquas qualitates, ob quas coffeae potio potest nocere, lactis additamento ita corrigi, vt innoxie queat hauriri. Etsi enim lac additum eius stimulum retundere constet, constat pariter non omnes eius nocuos effectus auertere, ne dicam hac ratione vires coffeae ita mutari, vt ad excitandum, et roboran-

roborandum non amplius valeat, sed potius ad nutriendum, ad emolliendum, atque ad relaxandum aptus potus euadat. Quod profecto in iis persaepe animaduertitur, qui vel ientaculi loco, vel post prandium, vel alio quouis tempore aut cum lacte, aut cum huius cremore, qui magis nutrit, laxat, et stomacho saepe grauis est, coffeae infusum assumunt. Ergo concludere licet hoc genus potionis purum vel nullo, vel modico conditum saccharo perraro, et parce esse vsurpandum ad stomachum reficiendum, ad digestionem adiuuandam, atque ad viras excitandas, vt sanitati tuendae, non gustus illecebris inseruiat.

341. Quod quidem de ipso etiam censeo potu, quem cioccolata suppeditat (§. 321.) Etsi enim valde nutriendo, demulcendo, aluum laxando viresque tum stomachi, cum totius corporis erigendo sanis fere omnibus conducat, maximeque debilibus, languidis, atque assiduis mentis lucubrationibus deditis, aliisque, attamen plethoricis, obesis, ad apoplexiam dispositis, impura primarum viarum colluuie laborantibus aliena est, et nocua. Caeterum, vt salutares facultates cioccolata exserat, nec aromatibus fere careat, nec nimis abundet. Quando enim ex butyro, et saccharo solummodo confecta est ob defectum stimuli, quem aromata suppeditant, excitando impar est, eaque affert incommoda, quae cioccolatae copiosius captae inter caeteros recte tribuit Ill. Murrayus *), scilicet languorem, stuporis quamdam speciem, obesitatem, et anorexiam. Quam ob rem etsi apud nos praeter cinnamomum, ac vanillae medullam nulla alia aromata cioccolatae adiici soleant, non ambra, non moschus, non caryophylli, non balsama, aliaque excitantia, et calefacientia, curandum tamen est ne nimium cinnamomi adiiciatur, neue vel larga manu, vel in omni casu ipsa vanilla eidem

*) Op. cit. V. III. pag. 276.

eidem admiſceatur. Quamuis enim eiusmodi ſiliquae medulla mollis, pinguis, fragrans, ſubdulcis, ſuauiſſimeque balſamica ſtimulando, calefaciendo, et roborando, et per ſe, et cum cioccolata aſſumpta ſanitatis conſeruationi in quibusdam queat proſpicere, atque in aliis morborum interdum curationi inſeruire, poteſt quoque vtroſque non parum laedere. Et re quidem vera ſanguineis, bilioſis, ad inflammationem diſpoſitis, aut febre, et conuulſione vexatis cioccolata ingeſta valde officit, tum caeteris nocet, qui etſi phlegmatici, et parum vel ſenſiles, vel irritabiles non ſint, eam quotidie, nec parce ſumunt. Quosdam proinde vidi vertigine, conuulſione, vigilia, immodico ardore, atque haemorrhoidibus ſiue apertis, ſiue caecis crebro laborantes protinus conualuiſſe ſola a vanilla abſtinentia, cui quotidie cum cioccolata nimium indulgebant.

342. Verum dum appoſito cibi, et potus delectu, ac recto vtriusque vſu quisque ſuae ſalutis, ac vitae diutinae conſeruationi conſulit, num, cum victus genus ſibi idoneum inuenerit, in eodem diu debeat perſiſtere, an potius vel continue, vel ſubinde mutare, diaetetici inter ſe diſputant. Quidam ſiquidem, inter quos Lommius, aptis vicibus a lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes, a vino ad aquam, atque ad ceruiſiam, ab his ad vinum tranſire vtiliſſimum arbitrantur ex eo etiam ne quid per neceſſitatem cuique ſit nimium inſolens. Alii autem ſeuere praecipiunt ab vno ad alterum oppoſitum victus genus, etiam ſi paullatim admittatur, tranſeundum non eſſe, ac ſufficere ſpeciem, non genus mutare. Ego autem cenſeo ciborum mutationi ab ipſa iam natura quemque, qui bene valeat, comparatum; ſed ita eſſe comparatum, vt neque lenibus cibis acres ſubſtituat, neque idoneam ei aquam deſerens ad vinum ſe conuertat, vel hoc ipſum vſurpet, vbi eius naturae vel alienum, vel non ſatis ſalutare cognouerit. Nullum

lum quippe mutationis genus vtile vnquam esse poterit, quod sit naturae contrarium.

343. Quod si incidat casus, vt vel acres cibos cogatur assumere, vel naturae, aut consuetudini manifeste oppositos, studeat illos lenioribus contemperare, atque istos paullatim admittere, sicque vel impune, vel leuiori damno nouam victus rationem inire. Siue porro cibi speciem, siue genus mutet, sedulo curet ne in eodem edendi actu alimenta inter se viribus valde opposita assumat, praesertim quando stomachus minus valet, nec reliquae digestionis potentiae multum vigent. Etsi enim incommoda, quae inde praesto sunt nec in quouis casu satis perspicua sint, nec grauia videantur, ipsum tamen stomachum infirmant, ipsumque demum coctionis opus peruertunt. »Quippe non pot»est, inquit Lommius, concoctio non vitiari cum »facilia concoctu duris, pinguia macris, ac laxantia »adstringentibus postponuntur. Tum quae nimium »varia sunt fercula, contrariisque inter se pugnantia »ventriculus neque arcte suis tunicis apprehendit, ne»que pari concoctionis proportione alterat. Alia »enim aliis citius, alia tardius conficiuntur, quae pro»miscue omnia inter se coeuntia, mixtaque facile com»putrescunt, atque omnem concoctionis legem sub»vertunt *)«.

344. Caue interim, ne istis nimium tribuas. Etenim ea est natura, et vis succorum, qui ciborum resolutionem, ac concoctionem praestant, vt promiscue omnia assumpta sine multo labore, ac sine vlla sumentis passione plerumque conficiat; tum interdum, quae alimenta inter se principiorum indole, ac proprietatibus dissimilia apparent, eodem refectionis tempore ingesta vtilia potius, quam aliena euadunt, quia vnum alimenti genus alterius naturam immutat, aut qualitates contem-

*) De Sanit. tuend. p. 131.

contemperat, et corrigit. Quare etsi concedam, nuperrimis quibusdam diaetetices scriptoribus ad omnem ex ciborum varietate futuram noxam declinandam quauis comedendi vice duas tantum, tresue ciborum species esse sumendas, atque hanc regulam generatim seruare tutissimum credam; non is tamen sum, qui ab eadem interdum neglecta, pluribusque cibis ingestis nec copia immodicis, nec naturae contrariis aliquid mali bene valenti imminere iudicem, eumque nimiis proinde, seuerioribusque, quam deceat, velim legibus obligare, quod sane nec fieri generatim potest, nec si possit, satis vtile est, atque ad firmam et inculpatam valetudinem consequendam accommodatum censetur.

345. Num vero cum varii sumuntur cibi aliquis in eisdem sumendis ordo sequendus sit, quique alteri rectius anteponatur, et disputatum olim est inter diaeteticos, et nunc etiam non satis constitutum videtur. In liberaliori siquidem quotidiana refectione, qua diuersa mensis apponuntur fercula, vt in prandio vsuuenit, sunt qui quaerunt num rectius initium sumatur a potione, an a cibo, num melius ab iusculis aliisque humidis eduliis, an a siccis rebus, ipsisque carnibus; numque fructus antecedere debeant cibos reliquos, an vtilius prandium, vel coenam includant. In hac porro re ob singularem stomachi proprietatem, ipsamque consuetudinis vim, quae in vnoquoque occurrit, nihil tradi potest, quod non aliquod exceptionibus obnoxium sit. Neque ex veterum auctoritate aliquid potest constitui, vt nonnulli putant, quod perpetuum sit, cum vel ipsi in hac re non eandem semper rationem sequuti fuerint. Etenim Romanos, vt Graecos nimis nobis opposita regione viuentes praeteream, liberalioris refectionis, quam coenam nominabant, initium quadam aetate fecisse ab ouis, alia a mulso, alia item a lactuca; imo interdum ab echinis, crudisue ostreis ex veterum lectione colligitur; etsi qui laute epularent varia edulia,

vel

vel obsonia, quae mittenda iubebant, certo magis, ac fere perpetuo ordine conuiuis admouenda curarent. Factis quippe variis mensarum mutationibus tum in prima, cum in secunda mensa, primum mittebantur assa, deinde iurulenta, ac postea pisces, tum in secunda mensa bellaria, seu eiusdem omnia genera, poma, persica, ficus, oleae, vuae, aliique fructus, postea dulciaria, ac postremo, saltem interdum, lactaria.

346. Quamquam autem de eiusmodi re nihil perpetuum possit constitui, nonnulli nihilominus in sanorum numero occurrunt, qui sine molestia imo vtiliter quosdam cibos aliis praemittunt, quos non sine stomachi passione, aut ventris inflationibus illis postponerent; vt in raphani satiui varietatibus, aliisue vegetabilibus crebro euenit. Sunt in quibus modicum vinum meracius sumptum, vel aqua admodum frigida epota ante cibos horum desiderium illico excitet, dum alteruter liquor in aliis tum temporis ieiuno adhuc stomacho ingestus appetitum protinus adimit, ac futurae digestioni aduersatur. Sunt quibus a solidis, et siccis cibis vix tepidis inchoatum prandium bene est, dum alii rectius eius initium sumunt ab iusculis calentibus, vel a sorbilibus ouis, aliisue fluidis, mollibusque obsoniis. Sunt qui hyeme prandii principium a calido iusculo perutiliter ducunt, saeuiente vero sirio contrarium morem seruare coacti sint, vt satis edere possint, ac quae ingesserunt facile, prompteque concoquere, vt quidam eorum, qui stomachum minus firmum habent, vel graciliorem habitum, neruorumque mobilitatem prae se ferunt. Sunt denique, qui vel acore primarum viarum facile obnoxii, vel singulari stomachi proprietate donati, etsi huius robore multis praestent, vix tamen vel bellaria, vel fructus secunda mensa perraro, ac parce admodum ferant, aut tantum sine incommodo sustineant, vbi cibis aliis includant; imo quidam occurrunt, qui certos quosdam caeterum suauissimos, tutissimosque

que fructus sine dolore, alioque graui ventriculi incommodo nullo modo edere possunt, vt in fragis maxime videmus, qui fructus alios maiori etiam donatos acore edunt impune.

347. Quae cum ita sint, sufficiet hic monuisse generatim, satis tutum mihi videri eorum ordinem, quem in mittendis cibis, atque vsurpandis ii apud nos sequuntur, qui siue pluribus ferculis conuiuari, siue paucioribus soleant, ab iusculo prandium inchoant, dein frixa, elixa, et iurulenta ministrant, nouoque missu, cum oleribus, et acetariis assa apponunt, tum secundam mensam dulciariis, fructibusque exornant. Quem autem ordinem in singulis missubus sequantur, vt minus suam valetudinem laedant, minusque intemperantia effoetum corpus tradant senectuti ipsi videant, qui vitae commodis, quibus affluunt, in sui detrimentum abutentes tot, tantisque obsoniis, dapibus, et cupediis suas mensas opulentare studeant, vt quouis missu nouum saliare epulum aggredi videantur.

348. Dicam potius quaerere diaeteticos num secunda mensa cum fructibus lactaria quoque tutum sit vsurpare, cum quidam ab alterutro cibi genere abstinendum esse praecipiant, alii vero vtrumque impune, et vtiliter vna vice assumi fidenter contendant. Verum si mittimus lac coctum, ipsumque caseum modice post bellaria, et fructus comestum generatim nemini officere, apud nos sane in pauciſſimis accidit, contra quam apud Edinenses se obseruasse affirmet Cullenius, vt vaccarum lac, vt huius cremor vel fructibus interponatur, vel cum istis comedatur, quin stomachus oneretur, praecordia inflentur, atque ipsum digestionis opus manifeste laedatur.

349. Quantitatem vero cibi quod respicit, docent vtique generatim diaetetici eius plurimum esse sumendum, dummodo hunc stomachus concoquat, imo interdum plus iusto edendum esse, at minus recte docent.

Etsi

Etsi enim credam inutilem, ac plerisque non salutarem summam eam sobrietatem, quam vel CORNARIUS, vel alii probauerant, aut cum non satis firmam haberent valetudinem, recte sequuti sunt, nec verum semper iudicem, quoad cibi vim, leuius a defectu, quam ab excessu quemque laborare, nec interdum alienum censeam conuiuari, ob multas tamen causas, quae ab ipsa humani corporis fabrica, ac nutritionis fine deducuntur, ego arbitror nec salutare plus iusto assumere, nec graui expers discrimine cibo satiari. Maxime vero hodie praestat omnem in cibo satietatem vitare, quia apud cultas omnes gentes plane exoleuit pessima illa ratio assumptos cibos vomitione reddendi, quam antiquitus helluones inuenerant, vt impune omnes temperantiae modos excederent, ac vix absoluto conuiuio, recuperata edendi voracitate nouas epulas aggrederentur.

350. Ea itaque copia sit cibus, qua vires reficiat, non opprimat, neque cum famem sedat, satietatem afferat, atque intra aureos mediocritatis limites consistat. Nihil enim cognosco frugalitate in cibo, et potu ad vitam incolumem seruandam, diutinamque efficiendam conducibilius, ac nihil pariter ea ad mentis, et sensuum omnium aciem conseruandam accommodatius, eademque nihil praestantius ad eos animi, corporisque affectus, et motus coercendos, quos ad omne felicitatis genus assequendum, vel saltem ad humanae vitae declinandas aerumnas, sedulo oportet medicinae, et sapientiae praeceptis componere. Quare non modo ex stomachi vi, et ciborum desiderio victus quantitas definiatur, itemque ex virium conditione, temperie, aetate, vitae genere, et similibus, verum etiam ex iis effectibus, qui, vt iam dixi (§. 143. 144.) ab eo assumpto in mentis operationibus, in corporis robore, ac naturalibus eiusdem egestionibus potissimum solent animaduerti.

351. Quo vero minus facile fert quisque inediam eo saepius debet cibum assumere, quemadmodum Celsus rectissime suadet. Nam praeterquam quod vbi opportuna alimenti appositione deperditae particulae non reparentur, vires corporis vniuersae fatiscunt, si diu stomachus cibis vacuus remaneat, eius robur eneruatur, succi digestioni famulantes nec diluti, nec inuoluti, nec ab alimento absorbti irritandi potentiam acquirunt, coctio euertitur, et caeteri humores non renouati mitem indolem exuunt, atque acredinem contrahunt. Hinc a rariori, quam deceat, ciborum assumptione debilitas, vertigo, capitis dolor, flatus, neruorum commotiones, aliaque eiusmodi saepe nascuntur. Sed interim dum eiusmodi errorem quisque declinat, caueat ne in oppositum incidat: quod toties praesto est, quoties vno cibo in ventriculo adhuc haerente nouus superingeratur, vel eodem vix e ventriculo propulso alter assumitur, sicque ad nouam iterum actionem ipsum viscus cum reliquis digestionis potentiis adigitur. Hac quippe ratione omnis concoctionis lex adeo perturbatur, vt nec facilis, nec perfecta assumptorum digestio consequatur, atque huius instrumenta grauiter postea laedantur.

352. Hinc vno consensu deducunt diaetetici non semel in die edendum esse, etsi quoties edere oporteat non eadem sententia determinent. Quidam enim, cum sibi persuaserint humanum corpus ita esse constitutum, vt quauis sexta hora cibi aliquid requirat, atque optime ferat, quatuor quotidiano cibo tempora constituunt, ientaculum, prandium, merendam, et coenam. Alii vero ientaculum, et merendam vix teneris pueris vel agricolis, aliisque duras illiberales artes exercentibus, quando longi sunt dies, permittentes duo tantum cibo tempora assignant, copiosum scilicet prandium, ac coenam non leuem. Sed cum nonnulli animaduertant ex liberaliori coena paullo ante nocturnum

num somnum assumpta valetudinem in discrimen, quam facile adduci, rectius se gerere existimant, si ientaculum, et plenius prandium retinentes coenam excludant. Verum hisce tutius agere mihi videntur, qui generatim iudicant satius esse ientare vno valde simplici cibo, siue fluidam, siue solidam formam habeat, deinde liberaliter prandere, ac contracte, et leuiter coenare, vitatis maxime carnibus, pinguibus condimentis, aliisque cibis, qui aegre conficiuntur.

353. Quamquam autem hic edendi ordo reliquis tutior, ac salubrior videatur, nisi aetas, stomachi singularis proprietas, aliaue causa diuersum requirat, ac potissimum consuetudo, cui maior ratio in hac re habenda est, non inde sequitur, quod quidam temere asserunt, humanae naturae contrarium, ac non parum insalubre bene valentibus generatim esse illud abstinentiae genus, quod ieiunium nominant. Porro demus die integro nil cibi admittere, etsi raro id fiat, sanorum nemini conducere, eoque grauius officere sanitati, quo crebrius eiusmodi abstinentia interponitur, aut per aliquot dies eadem continuetur, quia vna tantum vice cibum sumendo per inediam ita deficiunt vires, vt vel minus, quam oporteat sumatur, vel plus quam expediat ad vitandam satietatem, erit ne idem concedendum de eo ieiunii genere, quod religionis causa certis anni temporibus instituitur? Minime sane. Etenim cum ipsum potionem non excludat, vix ab esu quarundam carnium abstinentiam praeseribat, ac praeter liberale prandium coenae tempore leuem cibum permittat omni noxa caret, imo etiam valetudini inseruire recte censetur. Nam praeterquam quod interpositum subinde ieiunium corpus exhaurire, et purgare vel ipsi veteres sapientiae professores cognouerant, idque vtilissimum rati non minus religionis, quam valetudinis causa praestandum esse exemplo monuerunt, ego tam leuem eiusmodi abstinentiam reputo, vt eam vellem vtilem

potius sobrietatem, quam ieiunium nominari. Ea quippe vix, ac ne vix quidem differt, maxime quando cibi cuiusque esum permittit, ab ea victus ratione, quam liberalis quisque communiter seruat, cum abunde pransus contracte coenat, quamque omnes generatim seruabant apud antiquos Graecos, et Romanos liberaliori educatione enutriti, quibus mos erat bis tantum die capere cibum, nempe contracte admodum prandere, ac dein coenare.

354. Num vero, qui bene valet, et suae spontis est, quique potest paullatim consuetudinem in cibo, quae iam ceperit, tuto mutare, nullisque legibus, quae singulare aliquod praecipiant, obligandus sit, suae valetudini certius prospiceret, siue bis, siue ter cibo vtatur, vbi facta hodiernae mensae conuersione, more veterum Graecorum, et Romanorum leuiter pranderet, ac liberaliter coenaret, solet interdum ab iis, qui valetudinem suam diligentius curant, a medicis sciscitari. Etsi vero omnes, qui humanae salutis praesidem artem sapientius profitentur, generatim doceant consuetudinem in hac re non esse mutandam, inter eos tamen hodiernam cibum vsurpandi rationem, quae largum prandium, et leuem coenam admittit, meliorem veteri quidam censent, dum alii hanc magis probant, quae breue prandium iubebat, vt coena largior esset.

355. In hac concertatione dirimenda ego non immorabor, cum hodiernam consuetudinem retinendam esse multae sane causae omnino postulent; sed interim animaduertam apud nos veterem illam non adeo esse relictam, vt eiusdem nulla exempla supersint. Quae enim tempora cibo antiquitus operarii legebant, ea fere agricolae hodie sequuntur, qui ante solem pane solent ientare, deinde ante meridiem prandere, a pomeridianis laboribus merenda refici, ac denique domum reduces, antequam hesperus appareat, pulte, seu ex zea polenta, alioque, si suppetat, cibo addito ante pri-

mam

mam facem coenam ipsam explere. Eum vero morem, quem in cibo sumendo veterum Romanorum liberaliter educati seruabant, quibus breue admodum prandium, ac largior coena erat, ii aemulantur, qui, vt negotiis, vel ciuilibus officiis, vel studiis intensius, ac nullo cibi onere impediti alacrius se praebeant, et nocturnae seu coenae, seu commessationi parcunt, et post multum iam solem tanto leuioris cibi mane sumpto, quantum inani interpellet ventre, largius prandium instituunt circa tertiam horam pomeridianam, quae ei respondet, qua Romani coenabant. Notum quippe est ipsos, etsi hiemalibus diebus breuiores, aestiuis longiores horas numerarunt, ab octaua ad nonam perpetuo coenasse, antequam tum aestate, cum hyeme aduesperasceret. Nec antiquae comessationis deest exemplum, cum sane non desint, qui mollem vitam ducentes paullo ante meridiem ientaculum sumant, diu post ipsum laute prandeant, ac magnifico epularum, cupediarumque missu vix ante mediam noctem coenent, nisi eam longius adhuc protrahant.

356. Sed quacumque hora cibus sumatur, vt rite confici possit, ac salutarem euadere multa perpetuo seruanda sunt. Inter haec praecipua existimo, vt quisque nonnisi post lenem et iucundam exercitationem, quae animum exhilaret, atque appetitum excitat, ad edendum accedat, vt nunquam, si fieri potest, solus prandeat, sed in tempestiuo conuiuio cum amicis sedeat, quorum numerus, vt sapienter monuit Varro, Gratias saltem aequet, nec Musas superet, qui scilicet conuiuium laetum reddat, quin multitudine officiat; inter manducandum, quae colloquia familiariter instituit, ea ad sobriam delectationem, remissionemque animorum referantur; cum vero edit, quae assumit probe conficiat, neue vnquam auide, et raptim deglutiat, cibis potum apte interponat, nec copia aut varietate, raritateque obsoniorum eo addducatur, vt

quod nimium, aut minus tutum ei esse queat, assumat, neque sobrietatis vnquam obliuiscatur; tumque e mensa assurgens frigida, si maxime stomachi imbecillitate laboret, cibum includat, vel saltem os eluat, ac postmodum caueat, ne studio, labori, exercitationi se confestim tradat, quae vix inchoatum digestionis opus perturbent, aliisue modis laedant.

357. Ast satis de sanorum hominum victu. In acutarum vero passionum curatione rectum ciborum vsum magnam partem sibi vindicare, eoque neglecto frustra illam medicamentis aggredi, imo morbum deteriorem indolem acquirere is facile intelliget, qui nouerit, et in sanis hominibus circa cibum modum seruari perpetuo oportere, cum alimenta ipsis quoque plures, et insignes mutationes inferant; qui didicerit praecipua, et grauiora humani corporis mala ab alimentis, vel copia, vel qualitate, vel vtraque de caussa nocentibus oriri; quique animaduerterit in iis, qui morbo, ac speciatim acuto detinentur ex perturbatis, et laesis actionum, et functionum officiis, ex fracto virium robore, ex stomachi imbecillitate, ex gastrici succi, et bilis imminuta potentia, aut vitio quocumque, atque ex aliis denique caussis, quot ciborum coctioni impedimenta obueniant.

358. Qui haec probe perspiciat is sane fateatur necesse est, in quacumque aegritudine, ac maxime acuta cibum summa obseruatione indigere: praesertim cum ab antiquissimis iam temporibus innotuerit, multis corporis malis victus rationem, ac speciatim, quae alimenta respicit, maxime subuenire. Nam ipse vetustissimus auctor Hippocrates, licet in morborum curationibus manu, et medicamentis vteretur, et nosceret quaedam corpora acuta aegritudine detenta sine his interdum ad sanitatem peruenire non posse; diaetam tamen in acutis passionibus caeteris auxiliis longe praetulit. Neque etiam inter veteres medicos defuerunt, qui

vel

vel morbos iis tantum rebus, quibus sanus vtitur, discuti posse contenderent, mutata vnice administrandi ratione, vel saltem medicamentorum vsu magna ex parte sublato ad ipsius victus rationem omnem curam transferrent: quemadmodum de Asclepiade Celsus testatur.

359. Ex his porro veterum sententiis, ac medendi rationibus plura de recto alimentorum vsu in acutis praesertim morbis, tamque vtilia praecepta fluxerunt, vt satis mirari non possim quosdam inter nuperiores occurrere, qui fidenter asserant nos in hac re ab illis artis proceribus, et pauca, et parum proficua accepisse. Quamquam vero recentiores expunxerint quosdam errores qui in victus ratione priscis probata sequentibus aetatibus irrepserant, maioremque eorum doctrinis fidem, et lucem conciliauerint, nouisque etiam rationibus diaetam auxerint, pleraque tamen huc spectantia antiquis debentur, ac maxime iis, qui in morbis victu potius, quam medicamentis pugnabant.

360. Tanti porro in quouis morbo diaetam aegrorum veteres habuerunt, vt eam in plures species distinxerint, quarum modo vna, modo altera pro vario morbi genere, gradu, et tempore, proque varia aegri natura generatim vterentur. Solebant siquidem vti tenuissima, in qua aeger nihil sumebat, ne potum quidem, in morbis acutissimis; tenuiori, quae aquam, aut melicratum concedebat, in peracutis; et tenui, quae ptisanam, eiusue succum, aliaque eiusmodi leuissima alimenta admittebat in acutis. Neque carebant aliis diaetae speciebus, quibus, et acutis aegritudinibus ad exitum proximis, et lentis, chronicisque passionibus subuenirent. Tunc enim vsuueniebat, vel mediocris diaeta, quae paucis, et parum nutrientibus alimentis constabat; vel plena, quam ptisana hordei adhuc integra, vel quodpiam simile cibi genus suppeditabat; vel plenior, quam pulli carnes, ouaque sorbilia praestabant,

vel denique pleniſſima, quae ipſas iuniorum quadrupedum carnes permittebat.

361. Verum hae diaetae diſtinctiones hodie parui fiunt, cum neque ab acutie morbi eadem ſolummodo metiatur, neque omnimoda a cibo, potuque abſtinentia vnquam ſoleat praeſcribi. Nam et nulla aegritudo occurrit, in qua triduo, aut quatriduo, praeſertim a potu abſtinendum ſit; et illud tantum abſtinentiae genus vtile habetur, in quo aeger, nonniſi quod oportet, aſſumit. Nouis praeterea repertis medicamentoſis alimentis, ac maxime commodis potionis generibus excogitatis, aliae tum in acutis, cum in lentis paſſionibus praeſto ſunt cibi, et potus ſpecies, iis interdum longe vtiliores, quas ad varia diaetae genera veteres recipiebant. Ea denique eſſe debet in quouis aegritudine ratio ciborum, quae non ſolum propriae cuiusque naturae conueniat; ſed qualitate ſua diaetae ante morbi inuaſionem ſeruatae, ac cauſſis proinde morbis, atque effectibus aduerſetur; copia vero ſufficiat ad reparandas, et ſuſtinendas aegri vires, quae, vt alibi iam dixi (§. 23.), laeſas functiones ad rectum ordinem, atque ad priſtinam integritatem adducunt.

362. Quam ob rem male agunt, ſuiſque aegris nocent, qui in morborum initiis, quamquam non iudicent potum interdicendum eſſe, imo dandum iubeant, cum tempus aptum potioni eſt, ſecus ac imprudenter ſolebat Asclepiades, qui auctore Celso conuellendas vires aegri putauit luce, vigilia, ſiti ingenti, ſic vt ne os quidem primis diebus elui ſineret; attamen arbitrantur biduo ſaltem generatim praeſtare omninodam a cibo abſtinentiam ſequi. Nam praeterquam quod languens, et iners plerumque natura inſignis mutationis periculum tunc non affert, vires vitae inde adeo fatiſcunt, vt interdum a Clinicis animaduerſum ſit, ex hac cauſſa in ſummum vitae diſcrimen aegros incidiſſe. Excipi tamen debet caſus, in quo a nimia cibi, potusque ingurgi-

gurgitatione magnus, et perbreuis morbus naſcatur, qui, vt notum eſt, ſola interdum cibi abſtinentia finitur.

363. Suis pariter aegris non melius conſulunt, qui contra ſolent inter initia pleniorem cibum offerre, quoniam ex eo neque nocuas mutationes metuunt, neque cibi corruptionem pertimeſcunt, neque vires ad eius concoctionem deficere credunt; imo hac ratione exiſtimant mature proſpici viribus, vt morbo validius poſtea reſiſtant. Hoc enim modo nouam materiem morbo addunt, cumque cibus recte nequeat concoqui, calorem, febrim, vimque ſtimuli augent, et corporis vires opprimunt potius, quam erigant. Quod ſi HIPPOCRATES conſueuerit inter acutarum paſſionum initia non admodum tenuem victus rationem inſtituere; id ſane in iis tantum, quae paullatim incrementa ſumunt, ſenſimque procedunt ad ſtatum perfecit, non quidem pleniorem diaetam concedendo, ſed eam ſolummodo, quae qualitate apta eſſet, et copia modum non excederet.

364. Porro tum illa phaenomena, quae in quouis acuto morbo detento apparent, cum ea, quae ab alimentis licet innocuis, et conſuetis naſcuntur perſpicue demonſtrant in morbis acutis, maximeque in eorum incremento, et vigore minimum cibi conuenire. Tunc enim vt plurimum os amarum eſt, et foetet, lingua albido, flauo, aut nigro ſordeſcit muco, vel areſcit, et finditur, ac pituitoſa, mucida, vel quapiam alia noxia materie ventriculus obducitur; omnis plerumque appetitus deeſt, et nauſea, ac non raro perpetua a quocumque cibo auerſatio aegrum tenet; tument hypochondria, turget abdomen, inteſtina ſordibus ſcatent, et aluus aut nihil, aut parum deiicit: quae quidem omnia oſtendunt, quam alienum ſit hoc in caſu alimentum. Oſtendunt ſiquidem fractum ſtomachi robur, gaſtrici ſucci aut inopiam, aut alienam indolem, bilis, reliquo-

rumque succorum digestioni famulantium prauam naturam, et perturbatam, ac laesam intestinorum functionem, ac deficere conditiones, quae cibum rite concoquunt, quae chyli absorptionem, eiusque ingressum in sanguinem adiuuant, quaeque superflua, et nocua a digestione residua alimentorum recrementa e corpore eliminant.

365. Quae vero hisce in casibus a cibo, etsi non insolito, quem aeger imprudenter assumpserit, praesto sunt mala, neque pauca, neque leuia sunt. Tunc enim stomachus insolito quodam pondere oppressus languet, praecordiorum anxietas oritur, nausea augetur, vomitus proritatur, et capitis dolor intenditur. Febris etiam increscit, et statum exacerbationis tempus anteuertit, calor acrior fit, sitis, irrequies, et vigilia magis vrgent, et spasticae affectiones vel insurgunt, vel atrocius saeuiunt. Ventris denique inflationes maiorem molestiam pariunt, atque aluus, vel pertinacius cohibetur, vel immodice, aut intempestiue summo virium detrimento resoluitur. Quae quidem luculenter declarant assumpti alimenti nullam, aut exiguam digestionem, vel saltem difficilem, et prauam contigisse, atque inde vires tum stomachi, tum corporis magis attritas, stimulo nouam vim additam, nouamque morbo materiam, ac putrida demum in intestinis, et sanguine haerentia recrementa insigniter aucta fuisse.

366. Ne itaque aeger ob cibum tot aerumnis multetur, neue ipsi salutares naturae motus perturbentur, quae in morbificae materiae correctione, et expulsione versatur, parum semper alimenti detur; quantum nempe sufficere videatur ad vires sustinendas, ne excedant, aut deficiant. Quare rectissime monet Celsus *): „Vnum illud est, quod semper, quod vbique „seruandum est, vt aegri vires subinde assidens me-

„dicus

*) Lib. 3. c. IV. p. 109.

„dicus inſpiciat, et quamdiu ſupererunt abſtinentia pu-
„gnet; ſi imbecillitatem vereri coeperit cibo ſubueniat.
„Id enim eius officium eſt, vt aegrum neque ſuperua-
„cua materie oneret, neque imbecillitatem fame
„prodat.“

367. Oportet deinde ciborum vim a morbi acutie, vehementia, tempore, et diuturnitate, a corporis impuritate, atque ab ipſius cubantis aetate, temperie, et conſuetudine, atque a regione, anni tempore, ſimilibusque definire. Quo igitur acutior, breuior, et ad ſtatum propior eſt morbus, quo vires magis valent, quo ſymptomata magis vrgent, quo impurius eſt corpus, quo ab aſſumpto alimento maiores effectus naſcuntur, eo tenuior, et parcior ſit cibus. Item ſcire iuuat aegros, qui iuuenes ſunt, vel aetate admodum prouecti, qui vigente hyeme in aduerſam valetudinem incidunt, qui frigido ſub coelo viuunt, quique in ſecunda valetudine cibo indulgent, quique bilioſi ſunt, et exſucci tenuiſſimam illam victus rationem ferre non poſſe, quam, cum omnia paria erunt, adulti, calidarum regionum incolae, aeſtiuis diebus morbo correpti, ieiunium, et famem in ſanitate tolerantes, obeſi, atque inerti ac pituitoſo habitu praediti ſine noxa, imo plerumque vtiliter ſuſtinent.

368. Num vero in conſtituenda qualitate, et vi cibi, quo acuta paſſione laborans alatur, eius etiam, ſi qui fuerit, appetitui reſpicere oporteat, hic quaeri poſſet. Non enim vna eſt de hac re medicorum ſententia. Nonnulli ſiquidem putant, quoties aeger inſolita quadam vi aliquid appetat, vtut vel copia, vel qualitate morbo alienum videatur, toties eſſe eius voluptati obſequendum. Saepe enim, inquiunt, animaduerſum eſt, quosdam aegros, quorum caeterum in anguſto ſpes erat, vel pleniori alimento, vel eo, quod anxie appetebant, aſſumpto, licet alterutrum morbo contrarium iudicaretur, inſigniter leuatos fuiſſe; quosdam etiam

ſani-

sanitati restitutos, quam superstites naturae vires nec per se, nec medicamentis adiutae antea attulerant. Alii vero seueriores appetitui, qui morbo repugnet, indulgere renuunt eo nondum discusso, quia arbitrantur eiusmodi desideria non a natura, sed ab aegri luxurie, aut falsa opinione, aut prauo quopiam habitu proficisci; quia plerumque mens concupiscit, quod stomachus respuit; quia saepius aeger exoptatum ori cum admouet cibum, protinus eum fastidit; quia memoratae curationes partim nullam merentur fidem, partim a natura iam victrice, non ab expleto aegri desiderio promanarunt.

369. Verum in hac concertatione, si quidquam iudico, quemadmodum in prioribus medicis nimiam indulgentiam, sic in secundis nimiam seueritatem iure reprehendes. Licet enim concedam spuria plerumque esse eiusmodi desideria, contendo tamen legitima interdum se prodere, quae omnino debeant expleri. Ex eo siquidem fonte videntur oriri, e quo aeger solet oris siccitate laborans, vel insolito aestu percitus, vel in putridam humorem dissolutionem pronus siue aquam, siue refrigerantia, siue acida vltro exoptare, et auidissime assumere morbo inde leuato. Occurrere vero casus, in quibus aegri desiderio, etsi morbo videatur contrarium, parcendum sit, tum Hippocrates nouerat, tum nuperiores artis magistri affirmant. Quapropter concludendum est, quando eiusmodi appetitus diu perduret, aegrum male afficiat, nec, vbi forte expletus perperam fuerit, vllum vitae metum incutiat; prudentis medici esse eius voluptati indulgere, ita quidem, vt quod alimenti genus propinat, parua copia initio exhibeat, visurus vtrum recte cedat, an noceat.

370. Licet autem arduum sit certo statuere copiam alimenti, quae in acutis passionibus generatim conueniat, cum quilibet aeger propriam obseruationem sibi vindicet, sunt tamen quaedam, quae in hac re fere com-

communia habentur. Plerique enim Clinicorum in eo conueniunt, quod primis sex diebus pauciſſimus cibus eſſe debeat, imo primo biduo ſatis eſſe, eum vna vice propinare, aut etiam abſtinere, ſolo exhibito potu, quoties eius faſtidium, aut ventriculi irritatio, aut putrida cacochylia praeſto eſt; quod ſequentibus diebus, quamquam tenuis adhuc cibus indicetur, modo ſemel, modo bis quotidie dandus ſit; quod deinde minus tenuis expediat, donec ſub morbi fine et plenioris naturae vſurpetur, et quauis quarta, aut ſexta hora pro re nata exhibeatur. Tum enim, cum vniuerſae corporis vires langueant, corpus mirum in modum emaciatum fere contabeſcat, atque humores ad putreſcendum maxime inclinent, vberior cibus apprime indicatur, qui, vt apperite notat Ill. et Cel. GREGORY*), optimi remedii inſtar vires cito erigit, corpus nutrit, et implet, ac putridam humorum conſtitutionem emendat.

371. Quod vero morbo ad exitum proximo, aut paullo ante ſoluto partitis vicibus plenior cibus detur, non vna quidem cauſſa poſtulat. Hac quippe ratione praecauetur, ne cibus imbecillum adhuc ſtomachum oneret, ne diutius, quam par eſt, in ventriculo maneat, neue ipſius nimium, quam aegri conditio ferat, ſumatur. „Neque enim conuenit, inquit CELSUS, iuxta in„ediam protinus ſatietatem eſſe. Quod ſi ſanis quo„que corporibus inutile eſt, vbi aliqua neceſſitas fa„mem fecit; quanto inutilius eſt in corpore etiam aegro **)“?

372. Quo vero tempore cibus dandus ſit difficile non eſt generatim conſtituere veterum, recentiorumque medicorum auctoritate. Hi namque docent neque inſtante acceſſione vel exacerbatione, neque eadem ſaeuiente, neque circa morbi vigorem, neque inter dolores,

*) Op. cit. n. 986.
**) Lib. 2. cap. XVI. p. 83.

lores, neque critica praesente euacuatione eum commode dari. Ex eo enim vires vel ita deficiunt, vel intempestiua nutrione adeo inualescunt, vt nequeant morbidam materiem subigere, ac rite concoquere. Quamobrem finito paroxysmo, praesente remissione, eoque tempore, quod ab iam assumpto alimento, atque a futura accessione, vel exacerbatione magis distat, cibus recte exhibetur. Tunc siquidem alimentum minori difficultate in chylum conuertitur, intestinorum villos melius subit, atque in sanguinem celerius facessit, viresque opportune sustinet, vt postmodum necessarios in aegri salutem motus absoluant.

373. Quemadmodum vero in morbis, qui reuera intermittunt, dum integritas est, atque in iis, qui remittunt, cum remissio incipit, cibus recte assumitur, sic in acutis, et continentibus malis, quae statos certosque siue exacerbationis, siue declinationis ordines non seruant, eo tempore dandus est, quo morbus minus vrget, et minor functionum laesio animaduertitur: quod plerumque mane euenire Clinici obseruarunt. Interest enim vero plurimum ad tutam, et promptam morbi cuiusque, ac maxime periculosi, et acuti curationem has regulas in aegris alendis perpetuo seruare: nisi interim de subita virium reparatione quaestio sit; nam tunc cibus quouis tempore recte datur.

374. Cibi porro eiusmodi sint, qui facillime possint concoqui, qui masticatione non indigeant, ac fluidam proinde formam habeant, quique sine irritatione in chylum et sanguinem conuersi vires sustineant, acria temperent, tenacia diluant, stricta laxent, resoluant, et morbidam materiam corrigant, eamque, si corrigi nequeat, viis omnibus expeditis e corpore eliminent. Inter haec alimenta principem sibi vindicant locum, vtpote illis proprietatibus donatae, sorbitiones, quae ex stirpium cerealium seminibus (§. 151. 155.) fiunt, tempo

nempe decocta, ptisanae modo simplices, modo integrae, iura, et cremores, quae quidem ob variam densitatem, ac maiorem, minoremue nutriendi vim omnibus fere casibus accommodant, in quibus modo tenuissimus, modo tenuis, modo magis nutriens cibus conueniat. Ad eas vero sorbitiones parandas quidam veterum more hordeum magis probant, atque vsurpant, alii auenam, modico addito sale, aut saccharo praeferunt (§. 156.), dum nos crebrius vtimur decoctu ex seminibus oryzae (§. 157.) vel leui sorbitione, quam triticeus panis modo tenuissime sectus, modo tritus cum aqua, aut interdum cum diluto iure coctus praebet.

375. Proponi etiam solent a quibusdam in acutorum victu tenera illa olera, quae in aqua, vel iure cocta mollia fiunt, neque stomacho grauia censentur. Verum etsi in iisdem plures inesse vires concedam (§. 176.), nullam tamen singularem vtilitatem ab eorum vsu mihi polliceor, qua eadem credam vel anteponenda, vel aequiparanda mox indicatis cibis in nutritione eorum, quos acuta aegritudo tenet. Praeterea nonnulla leue, vt par est, alimentum non praebent, quaedam aegre digeruntur, alia in ventriculo, atque intestinis diu morantur, alia demum facile solent corrumpi: vnde haec generatim in diaeta acutorum vel omittenda mihi videntur, vel solum vsurpanda, vbi e cerealibus seminibus indicatae species ciborum parari nequeant, vel vbi fructus horaei non suppetant.

376. Prae oleribus enim longe vtilius, et praestantius alimentum acuto morbo detentis praestant ii fructus acido-dulces, quos alibi recensui (§. 185., et seq.). Quamquam enim hi fructus ex praeiudicata GALENI opinione parum salubres, atque aegris alieni olim iudicarentur, vtpote qui tenue alimentum praebeant, aquoso principio solidas partes laxent, atque e stomacho facile subducantur, plurimum aeris in primis viis euoluant,

uant, et dum corrumpuntur in acidam naturam tranſeant; hodierni medici e contrario ob easdem qualitates eorum vſum in acutis paſſionibus perutilem arbitrantur, ac paſſim inſtituunt ſummo aegrorum commodo. Saepe enim hic victus, et nutritionem, et ſalutem acute laborantibus attulit. Nam ſacchari principio, et gummi, quae duo habent fructus horaei (§. 186. 187.) nutriunt quidem, ſed modice, quantum ſcilicet in acutis expedit malis; miti et grato, quo donantur acore, refrigerant, temperant, atque humorum nimium motum, et febrim moderantur, ſitim leniunt, et corruptioni reſiſtunt, quam etiam validius arcent, et natam corrigunt eo aere, quo diuites ſunt, facile, et copioſe reſoluto; aqueo principio humores, ac potiſſimum bilem acrem, et ſpiſſam diluunt, ac demulcent, quod maxime praeſtant ſoluenti, et ſaponacea, qua gaudent indole, qua optime reſoluunt, atque abſtergunt, vrinae, et alui vias laxant, atque alios ſalutares effectus praeſtant, quibus eximii etiam medicamenti vices gerant.

377. Licet autem eiusmodi fructus optimum cibum aegris ſaepe largiantur, qui ſingulari prope inſtinctu eos, vel acido-dulces, vel acidulos auide appetunt, interdum tamen ab eorum victu alieni obſeruantur. Modo enim ab eorum eſu aluus, vel nimium, vel intempeſtiue ob inductam, auctamue laxitatem reſoluta, modo eius fluxus iam praeſens a cauſſa putrida non concitatus, modo ſingularis aegri conditio, modo ſtomachi, inteſtinorumque aegritudo, moleſtae ventris inflationes, aliaque iubent a fructibus eſſe abſtinendum, aut parce vſurpandos, aut ſolum eligendos, qui aegri, et morbi naturae ſpeciatim conueniant.

378. Ex iſtis itaque eſculentis vtilior, et tutior deſumitur cibus, qui celeri paſſione laborantes reficiat. Num vero ille, quem carnium iura, ipſaeque carnes praebent iſtis aegris vtilis quoque ſit, acriter a medicis diſputatum eſt, imo a quibusdam adhuc diſceptatur.

Quidam

Quidam enim obseruant haec alimenta, ob eorum indolem acute cubantibus esse quam aliena, atque iisdem exhibita febrim, sitim, calorem, et inflammationem augere, nauseam, stomachi pondus, aliasue molestias concitare, languorem virium, animi deliquia, et conuulsiones afferre, ipsamque putredinem promouere, proindeque eadem penitus exulare iubent. Alii contra, etsi concedant in acutarum passionum incremento, et statu carnes interdicendas esse, contendunt nihilominus iura e carnibus vituli, aut pulli, vel ranarum confecta inter morbi initia imbecilliora, dein eo ad finem tendente meraciora in quocumque febris genere, eiusque tempore noxa carere, ipsarumque carnium esum innocuum, ac proficuum toties arbitrantur, quoties morbus ad finem vergat, criticae euacuationes quoad partem acciderint, stomachus non admodum langueat, et masticatio, et deglutitio fieri commode possint.

379. Iura quod respicit ea profecto vbi vigeat inflammatio, aut febris, ipsaque adsit putredo, nocua sunt, nec in reliquis casibus dari vtiliter possunt, quia corpus calefaciant, sitim intendant, et stimulum augeant, nisi ex iunioribus animalibus elicita omni pingui supernatante priuata sint, vel pane, aut cerealibus seminibus, aut mollibus oleribus, fructibusue subacidis incoctis, vel saccharo addito, vel succo limoniorum, aut acidulo vino, vbi speciatim indicetur, affuso medicata euaserint. Horum quippe additamento praecauetur, ne gelatinosa e carnibus educta materia computrescat, imo eadem iura paria fere euadunt corruptioni prohibendae. Sed etiam, quando tenuiora sint, atque ab aegri consuetudine, stomachi proprietate, debilitateque a causa non putrida, atque a contabescente corporis habitu indicentur, ne quaeso copiose vnquam exhibeantur; cum secus ea inferant mala, quae vel contraindicata, vel meraciora adducunt.

380. Meraciora vero, aut concentrata, tum in gelatinam concreta (§. 280.), etsi non defuerint proxime elapso saeculo, qui acute laborantibus permiserint, ac tamquam vtilia suaserint, vt debilitati subuenirent, nemo hodie est inter sapientiores Clinicos, qui eadem non vituperet. Quid enim cum humores ad putrescendum proniſſimi sunt, stimulus nerueas, et carneas vellicat fibras, calor acer, et sitis vexant, digestionis instrumenta laesa sunt, viresque corporis admodum languent, alienius erit, atque nocentius consummatis iuribus, ac gelatinis? Haec enim nonne putredinem adducunt, irritant, sitim, aestum, febrim, et inflammationem intendunt, carnibus ipsis difficilius digeruntur, stomachum, et inteſtina onerant, atque infirmant, viresque corporis opprimunt?

381. Solidae autem carnes in victu acute aegrotantium, vtut elixae, ac simpliciſſime praeparatae sint, locum generatim non habent. Etenim nulla, etiam vbi adsint putredinis signa, aut stimulo potior dempta sit vis, stomachus, atque inteſtina plerumque ob imbecillitatem imparia sunt eisdem diſſoluendis, ac concoquendis. Non interim diffitemur quandoque casus incidere, in quibus morbo ad exitum proximo eas liceat esurientibus aegris concedere, imo eas dare sapientis artificis sit. Interdum siquidem ex carne exigua copia exhibita ventriculi actio ita erigitur, vt eadem facilius liquidioribus cibis conficiatur, quando scilicet, vt Ill. Gregory *) appoſite obseruat, in stomacho ille deficit stimulus, quem solidus cibus suscitat. Tum vero dentur elixae, et nulla arte praeparatae, vel solum modico sale, et succo grato miti, et acidulo conditae, caeteris condituris reiectis. Omnia quippe cibis addita, si pro re nata saccharum, et vinum excipimus, oleosa, pinguia,

*) Op. cit. n. 1000.

guia, aromatica, calida, et ſpirituoſa in acutarum paſſionum diaeta nequeunt admitti.

382. Ad potum vero quod attinet, in acutis morbis quantam ipſe partem ſibi vindicet in eorum curatione, quisque ex omnium medicorum auctoritate, maximeque HIPPOCRATIS intelliget, atque ex tot illis effectibus, quos rite inſtitutus in eisdem paſſionibus edere poteſt. Quoties enim potio eiusmodi ſit, vt aegritudinis naturae aduerſetur, et functionum effectus neque cohibeat, neque intempeſtiue ſollicitet, multiplicia humorum vitia emendet, corruptioni reſiſtat, vel natam corrigat, ſitim ſedet, et ſtimuli actionem neruis, et muſculis iniurioſam retundat, nimium aeſtum temperet, nimis auctum humorum motum imminuat, organa excretoria laxet, atque aperiat, vnde morbida materies ſecedat, quoties, inquam, potio eiusmodi ſit, nonne toties eius ſubſidio magna pars curationis abſoluitur? Nonne eius ope aliorum remediorum effectus adeo adiuuantur, vt citius, certiusque redeat ſanitas? Haec ſane omnia bona rite in acutis morbis adminiſtrata potione aegris obueniunt, eaque afferunt illa poculenta, iam indicata (§. 324. 325.) ſi ex iisdem conueniens cuique aegro genus deligatur, aut id perpetuo vſurpetur, quod anxietatem, nauſeam, ac faſtidium nunquam moueat, nec ingratum ſit, ac ſubinde recte mutetur, ne ſecus infirmus quotidianum potum non ſine nauſea, aut inuite aſſumens moleſtiam inde percipiat, neue minus, quam oporteat, potionis hauriat.

383. Huius porro vim ita determinare, vt pro ſiti, deſiderio aegrotantis, ac morbi phaenomenis nec nimia ſit, nec parcior, arduum ſummopere cenſetur. Ea quippe ob plura diſcrimina a morbi natura, et cauſſis, ab aegri temperie, et conſuetudine, atque ab anni tempore, ſimilibusque deducta magnis exceptionibus obnoxia eſt. Sitis interea, atque effectus, qui ab aſſumpto potu ſequuntur huius quantitatem generatim

determinant, vel vbi sitis deficiat, aut aeger sibi mente non constet, cutis conditio, et calor faucium, et linguae ariditas, pulsus, ac speciatim morbi tempus, et indoles eam definiunt. Quo enim vehementior, atque exacerbationi proprior est morbus, quo minus alimenti praebetur, et sic porro, eo copiosiorem potum conuenire Clinici statuunt; quorum erit has speciatim regulas tradere.

384. Moneo interim potum nunquam affatim, sed moderatis, etsi crebrioribus, hausiis esse sumendum, vt facilius, ocyusque sanguini admisceatur, neque citius, quam par est, vrinae vias petat, neue ob sui copiam nimis distento, et pondere fere oppresso stomacho tum huic, tum vniuerso corpori noceat: vnde anxietas, nausea, vomitus, dolores, alui fluxus, aliaeque perturbationes consequantur. Eo vero minus potionis hauriatur, quo ob instantem, aut iam coeptam febris exacerbationem, stomachus, et totius corporis vires languent, ne natura fatiscat. Quae denique esse debeat ipsius potus temperies, quando scilicet vel frigidus, vel egelidus, calidusue conueniat, vt rectius laxitati, et languori medeatur, atque aestum, ardoremue temperet, aut emolliat, laxet, et resoluat Clinici dispiciant.

385. Iam vero prouisis omnibus, quae ad cibi rationem in acutis morbis pertinent; nunc ordo postulat, vt quae in lentis, et chronicis conueniat, pariter dicam. Quamquam enim in vtroque passionum genere plura, quoad victum occurrant communia; quaedam tamen, nec pauca in vtroque animaduertuntur, quae non exiguum discrimen afferunt. Commune siquidem est vtrique, vt cibi praeter nutriendi virtutem eam habeant naturam, qua stomachum non onerent, aut quouis alio modo male afficiant, facile subigantur, breui transeant, morbum non exasperent, imo eum leniant, eius causis aduersentur, et salutari facta rerum conuersione felicem eius exitum vel adiuuent, vel afferant. Contra vero

in

in chronicis, ſecus ac plerumque accidat in acutis, appetitus laborantis aut parum, aut nihil imminutus, interdum auctus, ſtomachi robur vel integrum, vel paullo fractum, ſucci gaſtrici, aliorumque ſuccorum potentia ſuperſtes, febris aut nulla, aut exigua, atque a morbo profecta, vires generatim corporis parum laeſae, non omnis ſublata exercitationis vtilitas, haud impedita maſticatio, aliaque ſimilia non leuem in ciborum copia, delectu, vſu, atque adhibendi modo, et tempore differentiam fiſtunt.

386. Haec porro luculenter declarant chronico morbo obnoxiis pleniorem victus rationem generatim prodeſſe, quam lenta etiam mali natura, eius diuturnitas, minus quam in acutis periculum ſubitae, aut magnae mutationis ex aſſumpto alimento vlterius demonſtrant. Caeterum haec regula ſuis exceptionibus non caret. Nam interdum adeſt quidem in aegro ciborum deſiderium a ſtimulo, aliaue cauſſa profectum, ipſe vero gaſtricus humor impar eſt cibo prompte, perfecteque ſoluendo; interdum haec duo inuerſo modo ſe habent; interdum etiam diſſolutus, ac probe in ſtomacho ſubactus cibus a bile, reliquisque humoribus inopia, inertia, aliisue modis peccantibus nec vlterius concoquitur, nec in optimum chylum faceſſit; interdum laeſa ventriculi, inteſtinorumque actio vel morbum conſtituens, vel cum eodem coniuncta ciborum propulſionem parum adiuuat; interdum denique virium conditio, ac morbidae cauſſae natura, origo, atque effectus tot in victus ratione, quae chronice laborantibus expediat, diſcrimina afferunt, vt cibus modo leuiſſimus, aut pauciſſimus indicetur, modo ipſa abſtinentia ad aliquod tempus ipſis conducat.

387. Neque iſta ea ſolummodo ſunt, quae difficile reddunt conſtituere copiam alimenti, quae in quouis lentae aegritudinis genere, ac quauis ſpecie conueniat. Ab ipſo ſiquidem aegro nouae exceptiones emer-

gunt. Huius quippe temperies, peculiaris proprietas, consuetudo, vitae genus, desideria, singularis digestionis modus speciatim ostendunt nunc plenius, nunc parcius alimentum in chronicis malis expedire. Quae quidem, cum nobis non facile sinant quantitatem alimenti tuto constituere, nec appetitus, ipsumque morbi genus certo sinant, vt quidam nimis fidenter existimarunt, satius erit ciborum vim aegro necessariam ab effectibus eruere, quos ipsi inter initia parca manu, et quasi tentando exhibiti praestant. Tum vero non ea solum, quae in stomacho atque intestinis contingunt, sedulo inspici debent, sicuti ii solent, qui etiam infirmis tutum esse credunt tantum sumere cibi, quantum possunt conficere; sed reliquae pariter considerandae sunt mutationes, quae post cibum assumptum, et confectum in morbo, eius symptomatis, ac vitae viribus accidunt. Non raro siquidem euenit alimentum a ventriculo optime ferri, rite concoqui, in chylum bonae indolis mutari, atque in sanguinem facile traduci, non exiguo interim ipsius aegri detrimento, quod vberior nutritio, aut intempestiua, aut morbo contraria protinus infert.

388. Non sufficit ergo ad tutam, et iucundam cuiusque chronici morbi curationem, quam sine apposita victus ratione medicamenta non absoluunt, vt aeger sibi temperet ab alimentis, quae non facilis coctionis vix sanis, et validioribus conueniunt, iisque vtatur, quae morbo aduersantur; sed in eorum quoque copia debet modum perpetuo seruare. Ex nimio quippe alimento assumpto non pauca mala necessario sequuntur, quae infirmum sano magis afficiunt. Perperam vero quidam medicorum censent omne satietatis periculum perpetuo declinari, vbi cibus partitis vicibus aegris propinetur, atque hoc modo, etiam si nimius intra diem deglutiatur, innocuum euadere. Dum enim tentant mala praecauere, quae a stomacho diu vacuo imminent, maxime pueris, adolescentibus, et senibus,

senibus, ea accersunt, quae et corpori nouo cibo continue repleto, ac fere oppresso, et stomacho ob retardatum, atque imperfectum alimenti descensum male affecto contingunt. Ob fractum siquidem ista edendi ratione stomachi robur ea consueta cibi ad intestina propulsio praepeditur, qua, vbi opportune, et plene eueniat, nihil sane, Cel. GREGORYO docente, ad vires tuendas, et recuperandas aptius est *).

389. Neque tuto satis se gerunt diaetetici, qui infirmis cibos varios apponunt, vt consueuerat ASCLEPIADES contendens facilius concoqui, vel eos multa arte mutatos ipsis offerunt. Nam saepe cibi varietate, ac condimentorum illecebris aeger ad edendum ita sollicitatur, vt plus, quam oporteat, assumat. Interea vbi alimenti fastidium adsit, nes vires valeant, quo in casu vel ipse praecipit CELSUS ponendos esse cibos varios, vt aeger paulum ex singulis degustando famem vitet, necesse erit nouum cibi genus ei admouere, aut consuetum diuersimode praeparatum concedere, vtrumque etiam deligendo, quod aegri voluptati obsequatur. Inuisum enim si forte sit, vel appetitui non respondeat, vel eum prorsus respuunt aegri, vel non sine nausea, et anxietate assumunt, ingestumque nec facile, nec rite conficiunt. Quod si consuetis obsoniis aliud cibi genus substituendum sit aegri consuetudini, atque indoli insolitum paullatim, atque illis admixtum vsurpet, donec discusso fastidio, sine vlla molestia eodem solummodo reficiatur.

390. Cibus praeterea, vt in chronicis etiam passionibus morbum vel leniat, vel tollat, non ex vno genere, sed iuxta varium morbi genium ex alio, atque alio peti debet. In morbis ortis a laxitate, et lymphae excessu alimenta optima sunt, quae exsiccant, et roborant, vt cibi solidi, aqueo elemento inopes, et frixi;

*) Op. cit. n. 1012.

in iis malis, quae humorum corruptio, aut putredo fouet, quae eidem maxime aduersantur, vt fructus horaei; in aliis ab humorum spissitudine, fibrarumque rigiditate, et strictura, aquosa, mollia, et tenuantia, vt olera magis succulenta minusque sapida; in morbis rursus a nimia irritatione, nimioue aestu, ac motu, quae demulcent, temperant, ac refrigerant, vt cibi varii ex cerealibus seminibus; item in morbidis passionibus ab humorum tenuitate, atque acrimonia, corporisque marcore, et debilitate profectis lactaria; ac denique in aliis affectibus, quos acidum vel in primis viis, vel alibi haerens concitarit, aut comitetur carnes assae, oua, aliique cibi ex iis potissimum animalibus, quorum partes magis alcalescunt; ne reliqua alimentorum genera persequar, quae singulis generibus, et speciebus opitulantur, de quibus sane dicere ad clinicos pertinet.

391. Nobis idcirco satis erit ex hisce concludere in chronicarum passionum curatione praecipuam diaetam iisdem proficuam e vegetabilibus, et lacte desumi. Ob quam sane caussam euenit, vt si sano cuique conueniat, maxime apud nos, aestiuis praesertim diebus, parce admodum carnibus vti, magis adhuc expediat infirmo hanc victus rationem sequi, ac proinde parcius etiam carnes edere. Quod quidem cum iamdiu tutissimum esse experientia euicerit, mihi necessarium videtur hic loci nonnulla illis addere, quae iam posui de ipso lacte, et ouis (§. 202. 208.): quae duae alimenti species tam crebro in chronice aegrotantium victu recipi solent. Porro lac cum inter caeteras eius proprietates eam habeat, qua nutrit, demulcet, et laxat in atrophia, macie, haemophthisi, et phthisi ab vlcere, a labe haereditaria, a neruorum vitio, atque ab inanitione concitatis; subuenit item mirifice scorbuticis, arthriticis, rheumaticis, atque iis generatim omnibus, qui internis quibusque vlceribus laborant, qui ex acribus,

vren-

vrentibusque pharmacis ingeſtis, aut aeri quocumque veneno roſionis ſenſum percipiunt, aut alio modo cruciantur, quique acrimonia, quae non acida ſit, multimode laborant, quia acre demulcet, deperditas partes reparat, ac corpus implet; tumque ex eo quod etiam relaxet, atque emolliat tuſſes pertinaciores, conuulſiuos affectus, ſpaſmos, dolores, ac chronicas plerasque aegritudines moderatur, atque interdum tollit.

392. Licet vero pluribus aegris lac prodeſſe ſoleat, multis tamen non confert. Contrarium eſt ſiquidem valde febrientibus, vel febre correptis, quae lenta, et longa non ſit, capitis dolore, vertigine, aut plerumque comitiali morbo detentis, viſcerum abdominalium obſtructionibus obnoxiis, ac ſpeciatim ſpleneticis, atque hepaticis, nimia ſiti cruciatis, atque inflammatione detentis. Aduerſatur item iis, qui bilioſum ſus deque reiiciunt, immodico alui fluxu laborant, plethorici ſunt, aut hypochondriaci, aut obeſo, vel mucoſo corporis habitu praediti, crudum ructant, ac praecordiorum inflationes, ſtomachi pondus, doloremue, aliaque huius cenſus incommoda experiuntur.

393. Neque his ſolum contrarium eſt lac, ſed interdum, quamuis recte detur, incommodum exiſtit. Vel quod enim in ſtomacho aceſcat, vel abeat in nidorem, vel ipſum oneret, vel citius, quam par eſt, deſcendat, atque e corpore egrediatur plures ſuſcitat moleſtias, ructus nempe, vomitionem, tormina, alui profluuium, aliaque mala, quae vel omnem eius vſum prohibent, vel ſaltem monent aliquid ei addendum, quod omne incommodum auertat. Quare in eius vſu caute agendum eſt, explorando an aegri ſtomachus, aut natura ipſum commode ferat, aut aliquid praeſtandum ſit, vt bene conficiatur, atque in chylum, et ſanguinem vtiliter tranſeat.

394. Si itaque lac ſtomacho, praeſertim imbecillo, grauius ſit, abs re non erit aqua ipſum diluere, tum

maxime vbi crassius, et pinguius datur, aut leuissime coquere, aut candenti chalybe, vel coffeae infusu, similibusque alterare, quae etiam prosunt, vbi lac prae nimia intestinorum laxitate cito subducitur, nec adhuc confugiendum videatur ad ea adstringentia alibi indicanda, quae eidem adiecta ventrem modice adstringunt. Si vero lac ex eo officiat, quod vel ocyus, vel firmius, quam par est, vt iterum resoluatur, in stomacho coaguletur, ea, quae tam promptam seri, et cremoris a caseosa parte secessionem morantur, eidem debent admisceri; si nimis facile, nimiumue acescat, quae hoc ipsum impediunt; tum si coactum nequeat resolui, quae vel id praestant, vel potius ipsum educunt: quae quidem singula genera remediorum aliis locis commodius exponentur.

395. Iuuat praeterea non raro in lacte oui vitellum soluere, aut oryzae, hordei, aut auenae semina, aut panem incoquere, vbi plenius alendum sit corpus, ac stomachus magnam lactis copiam non sustinet. Iuuat etiam interdum aquis medicatis, aliisque remediis opportune admiscere, vt alia occasione dicam, indicatis tum morbis, in quibus eiusmodi vnio summopere prodest, tum quibus speciatim aegris debilibus, emaciatis, exhaustis, phthisicis, ac pneumonicis lac ipsum medicatius factum conueniat, atque egregium vna alimentum, et medicamentum existat.

396. Lactis vero vsus, ac lactea praesertim diaeta, qua aegri vel solo lacte, vel magna ex parte aluntur, vt prospere cedat, oportet primo stomachum, atque intestina ab omni, si quae adsit, impuritate liberare; dein lac bibere ex vberibus vix eductum, adhuc tepidum, ne vllo modo tenuioribus particulis priuetur; tum eidem sensim assuescere exigua prius copia assumpta; atque hanc ipsam ita pedetentim augere, vt quatuor, octo, vnciae decem, aut duodecim quauis vice, quae die bis, ter, quaterue, aut pluries etiam iteratur,

assuman-

assumantur. Sic continuare tamdiu oportet, quamdiu pro aegri aetate, natura, et morbo expediat, ac tantum plerumque lactis quauis die praebere, quantum requiritur, vt duas tertias consueti alimenti constituat; imo vbi nihil prohibeat, solo iuuat lacts viuere; quod praesertim podagricis, tabidisque proficuum censetur. Id vbi fiat hanc diaetam *lacteam*, vbi vero modicum panis, et pulli carnes cum lacte infirmus admittit, *albam* dicunt.

397. Quo autem tempore lac assumitur iuuat summopere puro in aere degere, rusticari, corpus modice exercere, omnia vitare, quae animi contentionem pariunt, a vino abstinere, atque omnium rerum esum vitare, quae lac acidum reddere, vel ad corruptionem adducere possunt, vel eius integritatem resoluere, ac naturam inuertere. Verum etsi ego nolim, vbi nulla singularis indicatio praesto sit, eiusque virium caussa praescribitur, cum acido limoniorum succo, aut cum acidis fossilium, aut cum alcohole, similibusque coniunctum lac exhiberi, non denego horum additamento sabacidum factum, vel sua sponte acescens quibusdam in casibus conuenire. Nam hoc modo cum nutrit valde refrigerat, sitim sedat, atque aluum laxat, estque potissimum quorundam stomacho, atque aestiuis maxime diebus commodum alimentum: quod plerique ab oxylacte veterum non differre existimant. Verum horum oxygala sero, et cremore magna ex parte priuatum caseosa imprimis materie constabat, ac crassum, atque aegre concoquendum cibi genus habebatur. Ipsum denique lac quandoque ebutyratum, seu, vt dicunt defloratum, dempto magna ex parte cremore, integro melius conducit, quando ex morbi, vel aegri indole oporteat minus nutrire, magis vero temperare, et diluendo acredinem non acidam demulcere, tumque e re non videatur ipsum, vt iam dixi, varia proportione addita aqua diluere.

398. Hactenus de lacte. De ouis vero gallinaceis quod eram dicturus ad eorum attinet vsum in chronicis, lentisque morbis, quem nonnulli in ipsis indiscriminatim instituunt quasi in singulis tutus, ac salutaris existeret. Vellem enim eos monere, ne hoc caeterum optimo, vbi conueniat, cibo (§. 208.) in aegrorum detrimentum abutantur. Quoties enim febris non leuis est, calor vexat, humores ad alcalicam indolem valde inclinant, vel aliqua iam putredine tentantur, ac praua colluuie stomachus, et intestina obsidentur, toties aliena sunt, ac manifeste nocent. Nam stomachum onerant, nidorosam cruditatem pariunt, aluum adstringunt, calorem augent, ac tetra corruptione putrescunt. Istis itaque in casibus oua tam fere aliena euadunt, ac in acutis febribus esse soleant. Porro crediderint vel nuper quidam clari nominis medici oua recentissima, et sorbilia in gastricis putridisque febribus prudenter adhibita nunquam aliquid mali attulisse, atque igni obiecta exhalare aliquid, quo putrida eorum dissolutio promouetur, vnde concluderent in illis morbis non esse proscribenda, ego in acutis generatim febribus, ac speciatim in putridis cum artis proceribus aliena, et nocua habebo. Quod si in malignis febribus Heurnius, Mercatus, Piso, aliique oua probauerint, verosimile est tum solum laudasse, quando nulla putredo, aut nullus eius metus aderat, ac febre valde inclinata vires morbo attritae nutriens, et sorbile alimentum iam postulabant, quod vna in debili stomacho non acesceret, ac demulceret. Secus vbi fecerint, non est, cur eos imitemur in ea re, cui ratio, atque omnium fere Clinicorum experientia, atque auctoritas aduersantur.

399. De potu demum in morbis non acutis non est cur hic repetam, quod iam monui (§. 323.), eum generatim conuenire, qui sanis expedit, eumque necessariis mutationibus adiuuandis, quas remedia debent afferre.

afferre, plerumque parem esse, vel vbi eisdem praestandis impar sit, aut morbus ad acutarum aegritudinum naturam, et vim accedat, indicari qui istis conducit. Num vero in chronicis interdum morbis a potu iuuat abstinere, ac siti, atque oris siccitate aegri vires conuellere? Profecto nullum morbum agnosco, in quo omnimoda a potu abstinentia necessaria sit, aut prosit. Nam in hydrope, quo in morbo quidam adhuc putant cum CELSO, etiam si sitis vrgeat, vt effusus humor absorbeatur, atque exitum sibi paret omnem potum aegro esse interdicendum, nunquam tanta abstinentia necessario requiritur. Plerumque enim morbus temperantem, resoluentem, nec copia exiguam potionem desiderat, vt certo discutiatur, quemadmodum, vt ea praeteream, quae ipse in hydropisi curanda saepe vidi hac methodo feliciter vsus, Ill. Virorum BACHERII, et MILMANNI praesertim obseruationibus declaratum est, ac nuper de ascite speciatim tradidit vir summae auctoritatis Ill., et Cel. QUARINIUS, dum inquit: „malo consilio asciticis omnibus olim inculcatum „fuisse, vt potu abstinerent *)". In reliquis vero casibus malum non abstinentiam, sed aliquam in eo postulat sobrietatem. Vt enim tunc expedit aegris praecipere, ne tantum potus hauriant, quantum vehemens, qua ardent, sitis flagitaret; sic nimis crudele esset, vt sapienter monet Ill. ac Cel. Caesar. Archiatr. Comes STORCKIUS, moderatum acidulae potionis vsum iisdem denegare **). Quo quidem in casu idem praestantissimus Auctor appositе hydropicis suadet, vt aliquid acidi in ore detineant, imo ipsum aqua aceto remixta interdum eluant, qua sitim, quam nequeunt restinguere, aliquo modo fallant, aut minus aegre sustineant: quod sane in aliis etiam morbis praestare artis est.

*) Animad. pract. cap. VIII. p. 149.
**) Instr. med. pract. P. II. de hydrope.

CAPUT

CAPUT IX.

De Motu, et Quiete.

400.

Neceſſitatem motionis, et quietis, quae ſe inuicem exciperent, muſculis voluntariis modo agentibus, modo feriantibus, natura nobis conſtituit, voluitque in recto vtriusque vſu tum ſecundae, cum aduerſae valetudinis praeſidium contineri. Id docent luculenter fabrica humani corporis, ſingularis partium ſtructura, et officia, ac potiſſimum muſculorum vires, leges, et munia, potiora effecta, et bona motionis, et quietis, tum denique mala, quae alterutra affert, vbi excedat, aut deficiat. Porro vi muſculorum, qui non vltra modum alterne ſe contrahant, ac relaxentur, velociori ac magis intenſo facto circumeuntis ſanguinis motu, aucta exhalantium, et reſorbentium vaſculorum actione, ſubactis, admixtis, tenuatiſque humoribus, cerebri neruorumque viribus erectis, omniumque partium robore magis confirmato, actiones, functionesque omnes ita ſuſtinentur, atque vtiliter incitantur, vt ſingulae, ac maxime, quae ad digeſtionem, et nutritionem referuntur, opportune conſeruentur, atque ea ratione promoueantur, ob quam facile, conſtanter, atque iucunde queant abſolui. Ex nimis contra ſiue crebra, ſiue vehementi, quem cuique conueniat, muſculorum actione quot, quantisque aerumnis humanum corpus obnoxium euadat, quae a debilitate, a perturbato reſpirationis, circuitus, ac ſecretionum, atque euacuationum ordine, a neruorum infirmitate, ab aquae defectu in ſanguine, a nouo ſtimulo euoluto, ab acrimonia humorum, atque a multiplici ſolidorum labe originem ducunt, Pathologi

ſatis

satis superque explicant, cum nimium motum inter morborum causas enumerant.

401. Quies pariter suis vtilitatibus, et noxis non vacat. Non enim natura posuit solummodo necessitatem quiescendi, vt attritas, atque imminutas exercitatione vires eius auxilio repararet, ac sustineret; verum etiam, vt impetus humorum moderaretur, amissas partes noua nutritia materie commode reficeret, mitem humorum indolem conseruaret, nimiam fibrarum firmitatem, aut rigiditatem prohiberet, atque omnia demum bona dum afferret, quae ab ea recte seruata promanant, mala vna auerteret, quae ab eadem nimis protracta nascuntur. Etenim vbi quies nimia sit, appetitum deleri, digestionem, ac secretiones, excretionesque multimode laedi, mentis operationes, corporisque motus omnes segnescere, spissos, lentosque humores fieri, obstructiones oriri, vires corporis eneruari, atque innumera prope agmina morborum se prodere cuique compertum est.

402. Ex hisce proinde siue motionis, siue quietis effectibus apertissime declaratur, quod initio proponebam, neminem sine moderata corporis exercitatione valetudinem suam tueri posse, diu viuere, ac tardam vigentemque senectutem sibi comparare; ipsam rursus exercitationem non sanis solum conducere, sed aegris bene multis prodesse; ad morbos non paucos siue leuandos, siue vincendos plurimum valere; animo alacritatem, vigorem, et iucunditatem afferre; tum contra in acutis morbis nunquam fere esse admittendam. Hi quippe ob stimuli vim, ob humorum impetum, atque ob virium imbecillitatem, aut insignem iacturam omne exercitii genus excludunt, vel si quod declinationis, aut remissionis tempore rarissime permittunt, breue admodum, et lenissimum concedunt, quin imo eius loco, vbi neruorum sensus languet, irritabilitas torpet, viresque deficiunt, humorum circuitus lente

procedit,

procedit, atque ex eo nascentes effectus aegre contingunt, a frictionibus, aliisque auxiliis alibi exponendis infirmi melius habent.

403. In acutis igitur morbis, vt quietis bona aegri afferamus, vbi maxime spasmus, aestus, velocior pulsus, aut nimia siue sensilitas, siue irritabilitas, aut virium prostratio adsint, prudentis artificis erit quacumque exercitatione, siue consueta, siue mitissima sit, iam relicta sedulo curare, vt aeger in lecto decumbat non sedeat, musculos, quo rarius, et lenius potest exerceat, hac illac non dimoueatur, placideque conquiescat. Atque haec seruanda etiam erunt in aliis quoque febribus, ac morbis non acutis eo diligentius, quo irritatio, et debilitas aegrum magis afficiunt, aut a motu maius periculum imminet; vt in aneurysmaticis praecordiorum vitiis, cruentis profluuiis, grauioribusque vulneribus, aliisque affectibus, quos Clinici speciatim recensent.

404. In morbis autem, in quibus exercitatio prodest, itemque in secunda valetudine omnis vtilitas ab opposito, et prudenti eius vsu promanat. Non enim idem est vnum, aut alterum potius siue gestationis, siue exercitationis genus vsurpare, plus aut minus motum protrahere, ex vno ad alterum transire, et in hoc potius, quam in illo se exercere. Haec quippe singula, aliaque plura iis tutissimis Gymnastices praeceptis componenda sunt, (siue sanis praesidio, siue aegris auxilio sit quoduis exercitii genus), quae ex veterum potissimum medicorum sententiis, qui hanc medicinae partem magnopere illustrarunt, deduci solent. Quam ob rem antequam cuiusque motionis vsus, et commoda perquiram, interesse plurimum arbitror ea tum ab antiquioribus medicis, maximeque ab Hippocrate, Celso, et Galeno, tum a nuperioribus petita, quae exercitationem generatim respiciunt, paucis proponere.

405. Ita-

405. Itaque scire generatim iuuat exercitationem recte institui matutinis horis, quo tempore purior, et salubrior aer est, cum iam eum humidis grauioribusque vaporibus discussis oriens sol lustrauerit, ac corpus praegresso somno refectum motum, laboremue, quin nimis defatigetur, diutius sustinet; per amoena loca atque a minoribus lacubus, paludibus, densisque nemoribus longe dissita, nullisque tetris aut nocuis exhalationibus infesta; tum melius sub diuo, quam in porticu, melius ruri, quam in vrbe, melius in temperato, quam in calido, aut frigido aere, et aperto potius, quam concluso, nisi aquilo, vel auster, vel quoduis aliud venti genus valide spirans, contrarium iubeat; item non post cibum, sed ante ipsum, vacuo nempe stomacho opportune suscipi, ne cruditas praesto sit, atque alimentum nimis propere descendat, atque e corpore subducatur, nec fames tamen vrgeat, nec macie adductis vberior nutritio etiam ipsa motione sit procuranda. Hisce siquidem in casibus expedit ex veterum, recentiorumque consilio cibum ei praemittere.

406. Oportet deinde quemque ad motum accedere capite, vultu, et manibus prius frigida lotis, ne ex incitato sanguinis cursu caput nimis incalescat, neue immunda cutis facilem exhalationem prohibeat; aluum, et vesicam ab omni onere prius leuare, „ne quid, vt „inquit Lommius *), ex his motionis, calorisque vi „tenuatum in venas, atque corporis molem feratur, „neue, vt addit magis appositе municeps meus Arrigonius (quem illustris memoriae virum immatura morte litteris, et mihi ereptum adhuc doleo) sub ipsa exercitatione vtriusque excretio maiori facilitate, et promptitudine vtilissime queat renouari **); rursus nec nimiis, nec aequo leuioribus vestibus corpus esse obuelandum,

*) Op. cit. p. 69.
**) Iasi meccanica.

landum, ne sudore diffluat, aut saltem nimis incalescat, neue, vbi alterum acciderit, cutis emanatio non satis promoueatur; ac denique tepido balneo, aut miti frictione, lenibusque musculorum, et totius corporis motibus a quiete ad exercitationem, eamque continue maiorem, paullatim esse transeundum. Nisi enim ei quisque pedetentim assuescat, a subita mutatione perturbatur, et laeditur.

407. Alia etiam bene multa, cum exercitatione vtimur, vt salutaris euadat, et tuta, diligenter obseruari debent pro multiplici discrimine, quod sit ab anni tempore, ab aetate, a sexu, a temperamento, a vitae genere, a consuetudine, a corporis robore, et peculiari cuiusque proprietate, quae singula propriam obseruationem exigunt. Expedit siquidem vere corpus exercere validius, et diutius autumno, remissius vero, et rarius hyeme, quam autumno conueniat, tum denique omnibus lenius, et breuius aestate, non obscura sane ratione. Aetas pariter non exiguam animaduersionem desiderat. Nam infantes nonnisi eas lenes dimotiones admittunt, quas nutrices praestant, vt loquitur Galenus, in cunis scilicet, in lectulis pendentibus, atque in ipsis suarum vlnis; pueris fere sufficiunt ii lusus, quos variis modis, variisque instrumentis suscipiunt, eaque ratione instituunt, vt crebrius potius, quam grauius se exerceant, quemadmodum ipsis conducit; adolescentes, aut iuuenes crebram, validam, diutinamque exercitationem vsque ad sudorem, et lassitudinem vtilissimam experiuntur; adulti a minus frequenti, et moderata melius iuuantur, ac senes leniori adhuc motione indigent, neque vnquam ad sudorem protracta, ac donec appetitus se exserat, corporis onus leuari videatur, ac nouus tum huic, tum animo vigor accedat. Feminis item remissior, et rarior quam viris exercitatio confert, quatenus graciliores nequeunt par motionis, aut laboris genus sustinere, ac viris magis laetae,

laetae, et hilares, magis mobiles, ac sensiles, excitantibusque animi motibus crebrius affectae, mentis contentionibus, ac studiis, profundisque meditationibus non deditae, menstruis fluxibus obnoxiae, ac minus alimenti sumentes habent profecto aliquid, Ill. et Cel. Tissoto iudice, quo humorum circuitum sine multa musculorum exercitatione expediant.

408. Consuetudinis porro in hac re tanta est vis, vt adolescentes ad validos caeterum motus obeundos ob virium robur aptissimos insolitus quicumque labor frangat, quem debiles, et senes illi lassueti sine vllo incommodo, aut periculo ferunt: vnde Celsus recte inquit: »omnem etiam laborem facilius vel puer, vel senex, »quam insuetus homo sustinet *)«. Pro varia etiam temperie, et corporis dissimili habitu modus in exercitatione seruandus est. Nam validiores motiones, grauioresque labores, qui prosunt phlegmaticis, ac muci copiam habentibus, minus conducunt sanguineis, et melancholicis, ac nocent biliosis, et siccis, quorum naturis communes vitae actiones pro motione sufficiunt, vel sane leniss̃ima tantum exercitia conueniunt. Qui vero litteris sunt dediti, sedentarii, tenui victu enutriti, otiosam, et desidem vitam ducentes, et graciliores, lenem, placidam, et breuem exercitationem desiderant, et optime ferunt, ac contra validam, et crebram ii, quorum corpora duro vitae genere, crudo cibo, et grauibus laboribus, operibusque firma, atque athletica euaserunt.

409. In omni porro casu exercitatio par sit viribus tum corporis vniuersi, tum ipsius speciatim partium, ne istae haud satis validae cum motionis laborem sustinere non possint magis eneruentur, ac detrimentum capiant. Quod vero vtilius cuique exercitii genus cognoscitur, atque ad gymnasticas leges suscipitur, etsi

*) Lib. I. cap. III. p. 21.

tamdiu protrahendum ſit aptis vicibus renouatum, quamdiu expedit, vt corpus eius vtilitatem percipiat, oportet nihilominus ſubinde ad alia etiam exercitia paullatim tranſire, vt priuata etiam cuiusque motionis bona experiatur. Illud proinde exercitationis genus tutius, et ſalubrius generatim eſt, quo maiores muſculorum potentiae agunt, et plures partes mouentur. Hoc enim modo, dum vniuerſum corpus motionis beneficia ſentit, praecauetur, ne vna ſolum, aut altera corporis particula reliquarum quieſcentium diſpendio reficiatur, et confirmetur.

410. Iſta autem omnia cognoſcere, ac recte conſtituere difficile non erit; ſed difficilius cuique videri debet abſolute menſuram cuiusque exercitationis conſtituere. Quodcumque enim praeceptum non leuibus exceptionibus obnoxium eſt. Satis proinde iudicant Gymnaſticae profeſſores generatim ſuadere, vt quaelibet exercitatio citra fatigationem ſit, quae omnem vtilitatem motioni adimit, nec corpus reficit, et roborat, ſed infirmat, ac laedit. Quare exercitationi finem imponant modo ſudor a protracto motu, non ex ſingulari habitu, vt qui illico erumpit, opportune elicitus, ac lenis, neque extenuans, laſſitudo, quae finito exercitio breui, et ſponte ceſſet, moderatus calor aequabiliter diffuſus, viuidus, et floridus cutis leuiter intumeſcentis color, ac crebrior reſpiratio.

411. Finita exercitatione non illico praeſtat ex quorundam conſilio ad quietem tranſire, quemadmodum plerique ſolent, praeſertim vbi validum, aut diu protractum motionis genus anteceſſerit. Oportet ſiquidem ad lentos, et raros eos motus, quibus modo muſculi aguntur leniter, modo paulum feriantur, redire, vnde cum ad quietem corpus fuerit adductum, nullum a ſubita mutatione damnum percipiant. In hunc quoque finem ſaepe proficuum eſt tepidum balneum ingredi, vel frictionibus vti, imo vtrumque experiri.

periri. Opus deinde est paulum conquiescere, in lecto etiam quandoque decumbere, sollicitas animi curas, studium, omnemque contentionem vitare, ac potum, aut cibum confestim non assumere, ne stomachus grauetur, cruditas, obstructio, aliaque eiusmodi mala superueniant.

412. Traditis hisce praeceptis, quae generatim exercitationem respiciunt, modo sunt indicanda praecipua eius genera, vtiliora scilicet atque ad maiores mutationes inducendas aptiora, quae sanitatem custodiant, atque ad morbos discutiendos, aut saltem leuandos valeant. Singula enim persequi, quorum alia raro conducunt, alia a medicorum vsibus aliena censentur, non vacat. Sit porro variis lusus generibus, quae pro aetate vel pueris vel adolescentibus priuata sunt, quaeque diuersimode, vnam, vel alteram magis partem exercent sua vtilitas; sit multiplici nucum lusui, sit ludis lamellarum, aut globorum, quibus varia sit materies, et magnitudo; sit turbini scutica in gyrum circumactae; sitque trocho, seu circulo nunc ligneo, antiquitus ferreo, atque ob circum infixos anulos tinnitum, et sonitum reddenti siue manu, siue ferrea ansa impellatur, haec, aliaque lusus genera inter gymnastica medicinae praesidia negligi solent. Suum etiam commodum non denegetur lapidum in fluuium iaculationi, vel lapillorum, quam funda praestet, aut disci in sublime vltra, vel propius metam proiectioni, aut sagittarum, telorumque ad designatum locum missioni; ista nihilominus iuuenum exercitamenta non pluris medici faciunt. Pugnis vero contendere, verae instar pugnae districtis ensibus digladiari, ac similiter hastis dimicare ad gladiatorum potius certamina, quam ad vtilia exercitia, iamdiu diaetetici iure reuocarunt. Neque ab iis tantum, quae ad agonem pertinent, motionibus cauendum esse monuerunt, sed etiam pedibus instar militum diutissime insistere, nemini afferre praesidium

docuere. Quare solummodo dicam de ambulatione, cursu, choreis, pilae lusu, lucta cum vmbra, venatione, equitatione, vectione, nauigatione, oscillatione, et de frictionibus, quae hodie exercitationis, et gestationis praecipuae species censentur.

413. Ambulatio cuique generatim conducit, qui mediocrem exercitationem admittit, ac caeteras grauiores, validioresque motiones optime antecedit, atque excipit. Plana, vtpote commodior gracilioribus, debilibus, et valetudinariis vtilis est, tum macris ipsis, atque emaciatis post cibum instituta; quae per accliuia fit ictericis, viscerum obstructione detentis, cohibito menstrui sanguinis fluxu laborantibus, quartana diutina, et pertinaci vexatis, ac cutis morbis obnoxiis auxiliatur; quae in asperis, atque arenosis locis absoluitur, illis, qui ex ischiade, podagra ac paralysi, similibusque affectibus praegressis debilitatem inferiorum artuum contraxerunt, superstite tamen motionis potentia, prodesse censetur; quae denique per decliuia perficitur, cum expeditissima sit ad humores e superioribus partibus ad inferiores deriuandos, in morbis probatur oculorum, capitis, gutturis, et pectoris. „Melior autem est, inquit Celsus, „sub diuo quam in porticu, melior (si caput patitur) in „sole, quam in vmbra, melior in vmbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quae tecto subest, melior recta, quam flexuosa *)".

414. Non semper interim aegris ambulatio prodest. Nam vbi febris adsit vel non exigua, vel cum acri calore coniuncta, organa vrinarum aliquomodo laborent, ac metus sit ne sanguis aliqua ex parte erumpat, neque lenis indicatur; tum validior in morbis plerisque, vti respirationis praesertim labor praesto sit, noxia est; neque vehemens conducit generatim bene valentibus, cum corporis vires, quas incitare, atque augere

*) Lib. 1. cap. 2. p. 20.

augere debuisset, opprimat, et frangat. Hinc Gymnasticae professores cursum ipsum, qui nihil aliud est quam celerior ambulatio, non ad praesidia sanitatis, sed ad militum exercitationem pertinere arbitrantur. Verum ad cursum, quod attinet, arbitror equidem robustioribus, grauibusque motionibus assuetis raro vsurpatum noxa carere, ac quibusdam proficuum, obstructis praesertim, interdum fuisse, quando a leniori exercitatione, aut gestatione recte suscepta, diuque protracta nullum emolumentum perceperant.

415. Potiori autem iure tum istis, tum aliis, in quibus oporteat singulas partes exercere, intimioraque viscera concutere, maius emolumentum a saltatione medici pollicentur. Profecto qui animaduertat, quot in eo, qui choreas ducit, agitque tripudia, musculorum motus absoluantur, et quam aptis vicibus renouentur, quod interanea succussionis genus experiantur, quae fiat a superioribus partibus ad inferiores humorum auocatio, ac quanta sane laetitia perfundatur animus musicae etiam concentibus delinitus, qui, inquam, ista animaduertat, is mecum de hac exercitatione optime sentiat necesse est, atque vna fateatur non sine ratione quosdam philosophos, et medicos tradidisse eam plerisque expedire, et feminis ea commoda praestare, quae viris equitatio affert. Et re quidem vera a choreis opportune susceptis, quae saltu non egeant, vel saltem breuem, ac rarum postulent, quaeque nulla insanientis animi libidine institutae non vltra modum protrahantur, menstrui sanguinis fluxum retentum, aut cohibitum vtiliter motum, haemorrhoidalium vasorum fluxum reuocatum, obstructiones, chlorosim, et cachexiam, aliaque mala a retentis excretionibus, fibrarumque laxitate orta feliciter sublata Clinici passim commemorant. Quare vbi expediat recreare animum, robur corpori afferre, maximeque visceribus, quae digestioni inseruiunt, dyspepsiam arcere, vel praesentem sanare,

atque vbi generatim oporteat a capite humores auocare, cutis emanationem promouere, aliaque efficere, quae ex notis saltationis viribus possumus expectare, iure nos monent Diaetetici eam esse admittendam, quando maxime opportunae reuulsioni, vel reliquis mutationibus praestandis instituta ambulatio impar exstiterit, nec suscipi equitatio possit.

416. Quemadmodum vero feminis maxime conueniens saltatio habetur, sic viris fere propria censetur lucta cum vmbra. Hoc nomine veteres illam exercitationem designarunt, qua quis brachia iactando protenderet, ictibusque auras verberaret, aut pondera manibus hac illac gestando valida, ac frequenti artuum commotione vniuersum corpus concuteret. Id porro exercitii genus sua vtilitate non caret, atque iure secundae valetudinis praesidiis accensetur, vbi nimium corpus non concutiat, aut diu exagitet. Secus enim aut nullam vtilitatem afferret, aut parum abesset ab iis incommodis, quibus obnoxius facile euadit, qui grauioribus operibus incumbit, duriores militum labores sustinet, arma tractat, aut ludicra, palaestrica, rixosaque pugna aduersus quemque contendit.

417. Sit itaque nec iusto validior, nec diu protracta cum vmbra luctatio, in locum aliarum exercitationum suscipiatur, atque equitationis, quae nequeat institui, vices potissimum gerat; finem ei imponant concitatior pulsus, celerior respiratio, et calor corporis auctus; ante cibum, nunquam post eum suscipiatur; atque ab iis frequentetur, qui litteris operam nauant, sedentariam, otiosamque vitam ducunt, hypochondriaca, aut melancholica passione, et dyspepsia laborant, viscera obstructa gerunt, ac prauum, et laxum corporis habitum prae se fernnt. Istis siquidem hoc exercitamentum, quod quisque potest suscipere, ac quouis loco instituere, cum nullo apparatu indigeat, nec queat ab aeris, aut tempestatis vicissitudinibus prohiberi, speciatim

tim prodeſſe, atque omnibus generatim ad conſeruandam valetudinem mirifice conferre tum veteres, tum recentiores medici perhibent.

418. In huius tamen valde ſalutaris exercitationis locum illud nunc ſuſcipitur iam vulgatiſſimum ludi genus, in quo qnis cum altero colludens, duobus eburneis globulis collocatis ſupra tabulam quadrato-oblongam panno obductam, quae in quouis angulo, atque in medio vtroque longiori latere ſcrobiculum habeat, nititur pilam dextra clauo armata, ſeu longo conico ligneo baculo ita trudere, vt in aduerſarii pilam impingens haec in ſcrobiculum deſcendat. Quo quidem in ludu, cum oporteat ambulatione vti, brachia exercere, et corpus diuerſimode flectere, muſculi omnes ſubinde agunt, ac proinde vniuerſo corpori ea commoda afferunt, quae vtiliores exercitationes concedunt. Illud contra graue eſt, et nimio labore plerisque alienum, ac nemini forte ſalutare ludi genus, quod clauam luſoriam dicunt. Lignei ſiquidem globi, niſi minorem habeant, quam fieri ſoleat, magnitudinem, aut minus ſaltem ponderis, eleuari, trudi, atque ad metam impelli non poſſunt, niſi plus vel robuſti virium adhibeant, quam Gymnaſtica medicina permittat, vt quaelibet exercitatio ſalutis conſeruationi proſpiciat.

419. Verum hiſce exercitationibus, aliisque fere omnibus pilae luſum praeſtare Gymnaſtices profeſſores communiter tradunt, quatenus facile, ſine periculo, atque optima motionis proportione ſingula corporis membra inter ludendum exercentur. „Licet enim, ex „Galeno inquit Lommius, in hoc genere luſus pro „cuiusque arbitrio labores alias remittere, alias in ſum„mam vehementiam intendere, modo membra ſimul „omnia, modo alia prae aliis ſtudioſius mouere. Ad „quas omnes ſphaerulae dotes, ſeu praerogatiuas acce„dit, quod nulla ſit alia exercitatio, quae animum ae„que vegetum, aeque alacrem, maioreque delinitum

»voluptate efficiat. Hic insuper pilae lusus vnus instar »omnium est omni aetati, omni fortunae, ac negotio »iuxta commodus *)«.

420. Non vnam vero pilae speciem veterum sphaeristica admittebat, sed etiam aliam, atque aliam, quo diuersa mole, et materia, qua ipsa constabat. Communiter tamen siue Graecis, siue Latinis quadruplex erat pilae lusus. Primum genus parua pila, cuius iam memini, afferebat, cuique idoneum, ac speciatim debilibus, pueris, et senibus; alterum ea exercitatio constituebat ope pilae institutae, quam corycum nominabant. Eam praestabat pila medio conclaui filo ita suspensa, vt ludentis vmbilicum attingeret, quae modo parua erat et farina repleta, modo maior arenam continebat. Pilam eiusmodi, qui ludebat, manibus initio agitabat, deinde nunc dextra, nunc sinistra fortiter percussam impellebat, quo longius fili longitudo patiebatur, tumque lusor recedebat velociter fugiendo, ac subinde insiliendo, vt manu resilientem pilam reciperet, eamque impingentem iterum repelleret. Haec pilaris lusus species erat, quam ante balneum instituebant, qui validiores maiori indigebant exercitatione, quam parua sphaera concederet. Tertiam pilaris lusus speciem suppeditabat maior, grauiorque pila, quae robustis, atque athleticis solummodo esset idonea, nec caeteris posset inseruire. Vltimam denique afferebat follis pugillatorius, sat magnus, atque aere valde repletus, qui manu in pugnum contracta impellebatur, vel caestu armata, cui hodie ligneum brachiale substituitur: quae quidem exercitatio laboris plena, non carens periculo, ac cursu, et saltu indigens inter gymnastica remedia annumerari non solet.

421. Satis

*) Op. cit. p. 72.

421. Satis igitur erit, si pila conseruandae, aut restituendae salutis caussa suscipienda videatur, parua sphaera, vel corico ludere. Vterque enim lusus stomachum atque vniuersas partes roborando, reuellendo, discutiendo, excretionesque incitando, non solum par esse solet multis morbis arcendis, sed ipsis quoque curandis. Sunt huius generis praeter stomachi languorem, appetitum sublatum, ventris inflationes, et murmura, dyspepsia, passio hypochondriaca, et melancholia, plerique cutis morbi, obstructiones viscerum, diuturni rheumatici affectus, praesertim, qui artuum debilitatem intulerint, ac caetera mala in quibus, si lippitudinem, ac vertiginem excipimus, quae pilae lusum non admittunt, exercitatio ambulatione validior indicatur.

422. Ob id vero, quod sphaerae lusus, siue folle vento tumente, siue trigone, siue paganica pila, siue harpasto suscipiatur, ambulationis commoda afferat, quis est, qui non videat ab eius fine non parum distare eum hodie crebro vsurpatum, in quo exigua admodum pila ob inclusum suber leuissima, ac pennis coronata a duobus obuerse stantibus reticulo excutitur, leniterque pari semper motu impellitur? Hic profecto lusus veteribus forte incognitus, etsi reticulo pilam remitterent, nisi alia, ac communiter fit, ratione instituatur, qua ludens debeat modo huc, modo illuc ambulando se vertere, impar erit iis commodis afferendis, quae ab indicatis lusoriae pilae speciebus licet expectare. Nisi sane hoc modo suscipiatur, iis solummodo idoneus erit, in quibus expedit ob singularem aliquam caussam brachia, et manus tantum exercere: quod interdum vsuuenit.

423. Ad vtiles quoque, ac quibusdam valde salutares exercitationes pertinet venatio, quae venabulo, maximeque ignea ballista perficitur. Vt enim modo ambulatione, modo equitatione instituitur, ac subinde vel saltu indiget, vel iubet paulum esse quiescendum,

in

in aprico ſuſcipitur aere, eiusque renouationem continue praeſtat, animumque exhilarat rerum varietate, voluptateque, quam venator volucres feriendo, aut animalia caetera transuerberando experitur, tot commoda habet coniuncta, quae ab aliis exercitationibus expectantur, vt gymnaſtices praeſidiis iure ſoleat accenſeri. Ergo nobis quoque licebit tuto affirmare venationem neque in paluſtribus locis, neque inclemente coelo exiſtente inſtitutam, raro ſuſceptam, ac citra omnem corporis defatigationem peractam pluribus in caſibus vtiliſſimam eſſe.

424. Sed cuique exercitationi antecellit ſane equitatio, cum corpus valde ſuccutiendo et roborando plura commoda afferat, ac tot priuatas vtilitates habeat, vt ſalutis tutelae mirifice proſpiciat, atque ad varias non leues aegritudines vincendas apta ſit. Quandoquidem oblectamenti, et voluptatis cauſſa eſſe ſolet, prae aliis aeque validis exercitationibus minorem laſſitudinem parit, digeſtionem promouet, chyli ſeceſſionem a reliquis alimentorum particulis, eiusque ingreſſum in ſanguinem, et facilem, appoſitamque aſſimilationem adiuuat; ſanguinis circuitum liberum, expeditumque efficit; nutritionem, ac multiplicem humorum ſecretionem facilem, promptam, plenamque reddit; vniuerſales vires erigit, ac potiſſimum ſtomachi, inteſtinorum, et viſcerum, quae pectore, et abdomine concluduntur; neruorum ſenſum excitat, atque ad conſueta officia incitat, et reliquis denique partibus maximeque muſculis inſitas vires erigit. Hinc facile aſſequimur, quomodo equitatio auxilio ſit ſanorum plerisque, ac bene multis infirmis prudenter adhibita. Etenim vbi male vſurpetur, ac praeſertim illico poſt cibum ſtomacho officit, anxietatem infert, aſſumptorum coctionem difficilem reddit, eiusque ordinem perturbat, viresque opprimit, quemadmodum nocet, ipſumque corpus infirmat quoties iſtud nimio motu fatigatur, nimiumque concutitur.

425. Ne

425. Ne igitur vtrumque accidat, oportet non modo nudo non insidere equo, sed eo ephippio cum stapia instructo vti, eumque morsu, et freno ita continere, ac regere, vt equitis nutu vnam potius, quam alteram viam legat, atque habenis vel laxatis, vel adductis nunc motum acceleret, nunc retardet. Perinde siquidem non est ad vtilitatem ab equitatione obtinendam quoquo motu equus feratur, siue gradu incedat, qui in lentum, et citatum distinguitur, siue succutiendo ambulet, siue gradatim, et velociter currat. Hinc equitationis vel ipsi veteres triplex genus constituerunt, quorum primum solitus equi gradus, secundum succussoria eius ambulatio, ac tertium gradarius cursus praefiniret. Primum expedit iis, qui aut debiles, aut inassueti validis exercitationibus suscipiendis idonei non sunt, alterum, qui sani, et firmi sanitatem tueri nequeunt, quin valida motione sese exerceant, ac postremum raro, et breuiter tentatum assuetis, et validissimis solum conducit.

426. Ex ipsis vero effectibus equitationis pronum est intelligere, quomodo ea sanitatem custodiat, ac firmet, et morbis non paucis leniendis, et curandis idonea sit. Prodest profecto in omnibus capitis affectibus, in quibus humores deriuandi sint, ac vasorum vires excutiendae; valet in conuulsiuis, et spasticis cerebri, neruorumque affectibus, in quibus expediat insitam iisdem vim incitare, aut firmiorem reddere; auxilio saepe est, multiplici pectoris chronica passione laborantibus, in asthmate humido, et pituitoso, atque in phthisi ab vlcere, a tuberculis, atque ab humoris mucidi congestione, in quo maxime morbi genere omnium fere clinicorum consensu reliquis remediis antecellit; insigniter iuuat in stomachi eruditate, anorexia, dyspepsia, ventris inflationibus, intestinorum leuitate, viscerum abdomine contentorum obstructionibus, in chronicis fluxibus alui a laxitate illatis, in retento menstrui sanguinis

guinis fluxu, in chlorosi, cachexia, atrophia, et tabe; ac denique, nisi medeatur, plurimum saltem confert ad febres intermittentes diutinas curandas, maximeque quartanam, quae aliis remediis reluctauerit, atque ad eas generatim lentas, chronicasque passiones vincendas, in quibus oportet, solidis praesertim partibus confirmatis, humorum secretiones, excretionesque promouere.

427. Quod si equitare quisquam nequeat ob varias causas, aut eius naturae minus conuenire videatur, vel ipse morbus non ferat, vtile saepe est vectionem experiri. Etsi enim haec neque omnes, neque adeo salutares edere queat effectus, quos equitatio parit; attamen pro diuersa vehiculi specie, varioque motionis gradu lenius, et rarius, vel crebrius ac validius, qui vehitur, succutiatur, ipsius equitationis vices aliquatenus gerit. Hinc expedit vti modo curru, aut biga, modo rheda, aut carpento, modo cisio, quo quis plus, minusue motionis, ac succussionis beneficium sentiat. Nec alienum, quin interdum vtile, et necessarium est illam solum admittere vectionem, quam praestat leniss ima in sella, basterna, aut lectica gestatio, quae, sibi proprias vtilitates cum habeat, quibusdam in casibus optimo consilio suscipitur.

428. Inter gestationes vero sanis, et aegris saepe salutares locum sibi vindicat nauigatio. Quamquam enim nequeat aliarum instar exercitationum corpus concutere, ac musculorum voluntatis nutui parentium motus, et vires manifeste incitare, vndulatorio tamen motu, quem praestat, fibras afficit, earumque conditionem immutat, aliaque non exigua commoda affert, quae a renouato continue aere, ab huius puritate, ab oblectamento; quod inter nauigandum quisque experitur, atque a mutata, et insolita obiectorum varietate nascuntur. Quae quidem omnia cum nauigatio in mari suscepta ea, quae in flumine sumitur, longe melius adducat, facile assequimur cur illam huic medici

antepo-

anteponant. Maxime vero cum in mari instituta priuatas mutationes afferat, praesertim inassuetis tum horrido eius nidore, colluctantium vndarum strepitu, validoque, et puro ventorum afflatu, tum inde nascentibus admodum variis oppositisque inter se animi motibus, laetitiae scilicet, ac moestitiae, spei, et metus, tum propria denique stomachi commotione, et vomitu, repetito, valido, ac citra noxam diu interdum durante, cui plerique obnoxii fiunt cum primo mare tentant, aut certis motibus in naui gestantur.

429. Tot porro vna conspirantium causarum vi, quibus ad animum, et corpus vna exercendum insignis potentia iure tribuitur, tum etiam a superflui, at nocui humoris in viscera, aliisque locis haerentis sarcina per vomitum corpore liberato, nemo mirabitur, si sanis plerumque conferat mare subinde tentare, ne ex defectu appetitus, ex lenta, aut praua ciborum coctione, ex mucida, viscosa, serosaque materie onustis pulmonibus, infarctisque abdominis visceribus, ne ex retardata humorum ventriculi, intestinorumque, ac bilis secretione, neue demum ex molestis animi curis detrimentum sentiant, atque ex hisce causis sanitatem amittant. Nec pariter quisquam mirabitur ob easdem causas, atque ipsos nauigationis effectus eam auxilio esse, veterum, ac nuperiorum consensu, chronicis oculorum morbis, anorexia, malo hysterico, aut hypochondriaco, dyspepsia, ac melancholia laborantibus, tussi antiqua, catarrho, et diutino capitis dolore vexatis, ictero et hydrope detentis, maximeque atrophia, tabe, ac phthisi occupatis. Quanti enim in phthisi nauigatio fieri debeat diu continuata, atque ad sat dissitas, et toto coelo diuersas regiones suscepta, cuique compertum est, in iis praesertim aegri, ipsiusque morbi conditionibus, in quibus hoc gestationis genus tutum, et vtile Clinici declarant.

430. Quae

430. Quae quidem omnia cum ostendant quantae vtilitatis esse queat nauigatio, ostendunt quoque ad medicorum officium pertinere, vt apud nos etiam iis siue bene valentibus, siue aegris, quibus conuenire videatur, eius vsum suadeant. Etsi enim maris opportunitate careat Insubria, caeterum rerum omnium vbertate, quae ad vitae vsus, commoda, ac voluptates referuntur, beatissima, magnis sane fluminibus non caret, nec maioribus caret lacubus Verbano, et Lario, in quibus liceat cuique tuto, et facile oblectationis, refrigerii, vtilissimaeque gestationis caussa, nauigare. Salubrium ventorum regularis fere afflatus, puritas coeli, ingens copia aquarum, permissa nauiganti itineris longitudo cum omni securitate coniuncta, amoenitas litorum, quam oppidorum frequentia, villarumque sumptuosarum elegantia mirifice auget, pulcherrimus montium adspectus, qui ad radices culti arboribus laete coronantur, quique structura, positu, figura, et magnitudine dissimiles iucundissimam exhibent varietatem, quemque sane, qui maxime Verbano, aut Lario proprior est, aut se illuc potest conferre, allicere deberent, vt valetudinis ratione in iisdem subinde nauigaret. Praesertim quod ad istud fidenter vsurpandum siue praesidii, siue auxilii genus inuitent, potissimum in Lario, nauicularum copia, ac cymbarum, lemborumque ad commodissimam gestationem aptitudo, ipsaque singularis nautarum peritia, qui modo velis, dum ventus operam dat, modo remis cursum norunt tam secure dirigere, vt perpetuo queant procellam, quam sciunt praenunciare, tuto effugere, atque ad litus mature appellere.

431. Porro si ab eiusmodi nauigatione tot illa commoda nequeant obtineri, quae a maritima sanis, atque aegris pollicemur, quaedam tamen nec exigua possunt expectari, quemadmodum reuera ex ea promanare experientia euicit. Neque inutilis est ea gestationis species, quam oscillationem veteres dixerunt, ac quidam

in

in oscillum, et tollenonem distinguunt. Illud in quo cum altrinsecus de tigno religato in aere quis subuectus oscillat ob eiusdem aeris agitationem refrigerium sentit, ad moderandum calorem, nimiosue sudores arcendos aestiuis diebus antiquiores admittebant. Alterum vero, in quo notissimo ludo trabi, aut tabulae in aequilibrio positae extremis qui insident machinae instar, quae tolleno dicitur, nunc sustolluntur, nunc deorsum aguntur, laudabant veteres, quoties exercere musculorum vires, ac pectore, atque abdomine contenta viscera aequabili motione expediret.

432. Quamquam autem tam varia suppetant exercitationis, et gestationis genera alia aliis leniora, aut validiora, accidit nihilominus, vt nullum ex ipsis genus interdum conueniat. Id vbi occurrat opportuna esse solet frictio, quae etiam tuto admittitur vbi exercitatio, atque interdum gestatio suscipienda sit, atque finienda, quemadmodum veteres consueuerant. Frictio siquidem, siue in quibusdam tantum corporis partibus, siue in omnibus instituatur, viribus incitatis, erectis, auctisque, quae fibris muscularibus, nerueis, ac cellulosis propriae sunt, extimas partes roborat, atque intimis quoque firmitatem affert, maxime ex eo, quod sanguinis circuitum expedit, calorem euoluit, haerentes, impactosque humores discutit, secretiones sollicitat, vasorum lymphaticorum effectus maiores efficit, ad cutim auocat, eiusque emanationem auget, atque alias cuique compertas salutares mutationes exserit. Quae enim fiunt ab incremento virium, atque ab humorum exinanitione, deriuatione, et reuulsione vtiles conuersiones ab ea quidem rite instituta sequuntur. Non vna siquidem frictionum ratio esse vel antiquitus consueuit, vel hodie solet; namque vel nudis manibus, aut aliquo spiritu, oleoue imbutis, vel ope strigilis fiunt, vel cum pannis ex lino, aut lana calentibus, subinde aromatico halitu imbutis, vel cum spongia vino,

aut medicato liquore madefacta absoluuntur. A gradu praeterea, a directione, atque a modo, quo suscipiuntur, in lenes, mediocres, et fortes, in rectas, transuersas, et circulares, atque in siccas, et humidas discriminari ab antiquioribus consueuerunt.

433. Ab enarratis frictionis effectibus facile quisque assequitur, quam optimo iure de ea adeo multa ASCLEPIADES posuerit, vt cum aquae, gestationis, et frictionis auxilia exponeret, tamen, auctore CELSO *), maximam partem in hac consumpserit, ac latius, et dilucidius de ea id praeceperit, quod paucis verbis HIPPOCRATES erat comprehensus, „qui dixit frictione, si „vehemens sit, durari corpus; si lenis, molliri; si „multa, minui; si modica, impleri.“ Declaratur quoque, cur iam veteres docuerint in acutis, et recentibus morbis si pertractandum sit corpus, tantum leniſſime, et in remiſſione, atque ante cibum id fieri posse, longam frictionem in acutis atque increscentibus non conuenire, sed in longa, et iam inclinata valetudine ipsam prodesse, tumque ex morbo, viribusque infirmi esse colligendum, num rarius, aut saepius dimouendae sint manus, ac num breui, et leni, an potius multa, valentique frictione opus sit.

434. Hinc etiam deducitur, cur in non paucis morbis capitis, et abdominis, aliarumque partium, quos debilitas, laxitas, nimius humoris affluxus, congestio, vel obstructio concitarit, aut foueat, cur in plerisque febribus, quae intermittunt, cur in nonnullis, quae tantum remittunt, cur etiam in singularibus quibusdam affectibus, quos Clinici perquirunt, frictio vtiliſſima sit. Ex eo denique, quod frictione modo in totis corporibus, modo in partibus instituta, tam apte, et facile vel infirma leuetur valetudo, vel integra confirmetur, ipsamque quisque possit, pro re nata adeo intendere,

*) Lib. 2. Cap. XIV. p. 79.

tendere, vt sat vehemens euadat, dolendum non est, si ad excutiendas validius musculorum vires in quibusdam morbis lentis, pertinacioribusque nunquam necessarium hodierni medici existiment dorsum, volas manuum, plantas pedum, aliasque partes manibus, virgis, aliisque modis caedere; quemadmodum hac aetate vir medendi peritia, et fama valde clarus VISONIUS ex veterum medicorum fide, atque ex propriis obseruationibus proposuerat.

435. Quae quidem omnia de exercitatione, et gestatione hactenus prolata cum ostendant, quantum non ad morbos solummodo vincendos, sed ad eos arcendos referat rectus vtriusque vsus; ostendunt quoque, quam optime sit in quauis bene constituta vrbe consultum, vt porticus, equorum palaestrae, sphaeristeria, gymnasia, ac lusoria non desiderentur, quae ambulationem intempesto etiam coelo permittant, equitandi commodum praestent, ac facultatem praebeant quoduis ludicrum suscipiendi, quod ad corporis exercitationem, atque vna ad animi recreationem, cum sine vlla spe lucri, aut periculo damni suscipiatur, conducat. Hisce enim gymnasticae medicinae praesidiis cum victus frugalitate coniunctis nihil est praesentius ad tuendam valetudinem, ac tardam reddendam senectutem, quae nec corpori vires, nec sensibus aciem, nec animo alacritatem adimat. Haec siquidem certis, ac prope innumeris exemplis comperta habemus, quemadmodum scimus recto harum exercitationum vsu paratissimos effici iuuenes ob maius consequutum virium robur ad quoscumque pro patria suscipiendos labores, ad studiis seuerioribus operam impune nauandam, atque ad ciuilia officia, et munia sine salutis discrimine obeunda, vt mittam quantum eiusmodi exercitia conferant, ne quis otio, et vitiis effoetum corpus immaturae tradat senectuti.

CAPUT X.

De Vigilia et Somno,

436.

Sicuti exercitationem, laboremque recte excipit quies, sic vigiliae somnus apte succedit. Hic enim refraenato cordis, arteriarumque motu, temperato calore, quouis irritationis genere cohibito, sensu imminuto, coctionis, et nutritionis opere perfecto, secretionibus ordinatis, atque anxiis animi curis silere iussis, inter vigilandum debilitatas solidas partes confirmat, fluidarum reparationi prospicit, ac menti vigorem, tranquillitatemque restituit. Quae quidem ex somno commoda tunc solum praesto esse, cum ipse neque deficiat, neque excedat, luculenter ostendunt ea mala, quae ab excessu, aut defectu tum in vigilia, tum in somno fieri docent Pathologi, qui vtriusque damna iis solent comparare, quae siue a nimio motu, siue a nimia pariter quiete sano cuique eueniunt.

437. Haec porro cum euincant sine recto vigiliae, ac somni vsu sanitatem consistere diu non posse, euincunt quoque naturam cuiusque corporis, vitae genus, aetatem, et consuetudinem, anni tempus, et coelum sedulo considerare oportere, ac maxime effectus, qui ex certa vigiliae, et somni mensura in vnoquoque accidunt, vt vtriusque ratio rite constituatur. In hac quippe re ob singulares cuiusque affectiones arduum summopere censetur regulas tradere, quae pluribus exceptionibus obnoxiae non sint. Interea cum istae fiant ab iis, quas attulimus, cautis, abs re non erit indicare, quid quaelibet sibi generatim vindicet.

438. Primum discrimen aetas affert. Infantes enim, in quibus actiones vitales concitatissimo motu exer-

exercentur, ac singulae corporis partes quotidianum incrementum sumunt, quam diutissimo somno indigent; quemadmodum ob easdem causas, ac continuam fere exercitationem pueri quoque longum admodum somnum exigunt, qui irritationes sedet, nimios motus moderetur, aestum humorum temperet, viribusque ad stomachum praesertim auocatis coctio ciborum facile, et perfecte absoluatur, amissarumque partium reparatio vberior, atque aequabilior contingat. Pari iure ob parum firmas totius corporis, ac stomachi vires senes quoad somni mensuram pueris solent comparari, dum contra adulti istis longe minorem somni quantitatem requirunt.

439. Temperies item corporis non leuem differentiam exhibet; nam quo maius ex ea fit partium dispendium, vt in sanguineis, et biliosis accidit, eo longior somnus requiritur. Ob eandem caussam, ob copiam nempe amissorum humorum, inductamque solidis debilitatem, laxitatemque, cum caetera paria sint, aestate, ac calido coelo magis somno indulgendum, quam hyeme, aut in temperata, et frigida regione expediat. Vitae pariter genus respicere oportet; nam qui sua corpora inter vigilandum motione exercent, ac duros sustinent labores, non vna de caussa maiori opus habent somno, quam otio, et desidiae dediti; denique qui plus edunt, et bibunt longiores exigunt somnos iis, qui non viuunt, vt edant, sed edunt, vt viuant.

440. Potior tamen obseruatio consuetudini danda est, vt cuique vtilis, aut necessaria vigiliae, et somni quantitas constituatur. Saepe enim animaduersum est, singula paullo ante proposita etsi certam vtriusque rationem valde opportunam, atque omnino sequendam esse monstrarent, aliam regulam, alium ordinem in capessendo, ac protrahendo somno inductam consuetudinem voluisse. Accedit praeterea huic consuetudini

noua plerumque vis ab abdita prope quorundam corporum proprietate, quae longiorem, aut breuiorem, quam secus conueniret, somnum exigens, siue captae consuetudinis caussa existat, sive ei iam admissae se adiungat, praecipuam, aut omnem in somni, ac vigiliae mensura determinanda rationem sibi vindicat.

441. Hinc non pauci occurrunt, in quibus, etsi paullo ante proposita (§. 438. 439.), nullam fere dissimilitudinem afferant, insigne discrimen existit, cum horum alii ad septem, octo, vel vltra horas somnum protrahere coacti sint, vt vigilia debilitatis solidis, fluidorumque inopiae satis subueniant, atque amissam alacritatem recuperent, dum alii quinque tantum horis quauis die somno datis a lassitudine, et labore abunde recreati, non minus alacres, et validi ad consueta munia, durioraque etiam opera suscipienda expergefiunt. Quare recte docent Diaeteticorum plerique, non alia ratione vim somni, ac vigiliae tuto metiri, quam ex ipsa obseruatione, tum consuetudinis, tum effectuum, qui ab ipso somno, ac vigilia sequuntur.

442. Iuuabit idcirco ea sedulo considerare, quae, cum in vnoquoque se exserant, luculenter significant, num satis datum sit somno. Quemadmodum enim silentii, ac quietis desiderio, totius corporis, ac maxime artuum lassitudine, frequenti oscitatione, qua corpus hac illac se extendens totum cum ore pandum fiat, imminuta sensuum acie, atque attentionis, imaginationis, ac memoriae vi, et promptitudine perturbata, somni necessitatem, et tempus indicat natura, sic aliis signis, quae ab expergefacto homine desumuntur, ostendit neque defectum, neque excessum in praegresso somno fuisse. Satis porro somno dedit, qui experrectus non hebes, non obliuiosus, non labore fessus existit, nec capite dolet, nec crudum, aut acidum ructat, nec quidquam insoliti experitur, sed hilaritatem animi ostendit, promptamque mentis vim ad quascumque

que ipsius operationes peragendas, viribus ad labores, et consuetos motus obeundos aptissimis praeditus sibi videtur, corporis membrorumque pondus non sentit, ac nullibi molestiam patitur. Quibus sane omnibus cum gaudeat sanitatis conditionibus iam appetitus se explicantis sensum aliquem citra auiditatem percipit, organa ad sensuum ministeria paratissima habet, ac consuetam vultus speciem, decoremque prae se fert.

443. Vt vero a somno haec consequantur, expedit quaedam in eius vsu seruare, quae idoneum cuique, atque vtilem reddunt. Expedit imprimis eum fatigato ex labore, atque exercitatione corpore capere, sedulo cauendo ne nimia lassitudo, aut virium exsolutio praecesserit, quae somnum prohiberet, vel irrequietum, atque inutilem adduceret; somnum nisi vacuo stomacho, saltem non nimis cibo potuque repleto, assumere, ne secus alimentis oppressus somnum ipsum abrumpat, aut non leuibus commotionibus, tetris imaginibus, insomniisue perturbatum adducat, imo incubum, aliaque mala suscitet. Quare parca coena generatim sit, eaque vegetabilibus contineatur, vel si animalem materiam admittit pro consuetudinis vi, stomachi proprietate, aliisque causis, solidas saltem carnes excludat. Vbi vero liberalius coenandum sit, quam in vniuersum deceat, curare diligenter oportet, ne quisquam, vt tranquillum, optimum, et salutarem somnum experiatur, huic se tradat, nisi post coenam tamdiu euigilauerit, quamdiu sufficit ad magnam digestionis partem peragendam.

444. Iuuat quoque ad somnum vtiliter capessendum non multo post solis occasum eidem se tradere; quod speciatim tempus prouidam constituisse naturam humano etiam generi ad vires vigilia infirmatas reparandas, composito motuum omnium ordine, atque opportuna partium, quae solidas, fluidasque absumptas repararent, appositione animalia bruta luculenter ostendunt. Tot

enim sunt causſae, quae nos moneant primas noctis horas somno esse concedendas, vt etiam si postea ei satis detur, tutum esse non soleat, ac nunquam salubre nocte admodum protracta, aut oriente iam sole a vigilia cessare. Quare videant, quam improuide agant ii, qui licet appellari cum M. Catone antipodes non possint, quemadmodum ipse eos vocabat *), qui ob insanam dormiendi, et conuiuandi rationem neque orientem vnquam solem videbant, neque occidentem, attamen vigiliae tempus ita spectaculis, alea, epulis, et colloquiis diducunt, vt nocte absumpta, paullo ante lucem lectum petant, atque orientem nunquam, vix meridianum solem salutent.

445. Iuuat etiam, vt facilis somnus obrepat, qui rite protrahi queat, quin abrumpatur, ac saluti sit, neque in humili eum capere, arcto, humidoque conclaui, aut iusto paucioribus fenestris, et ianuis praedito, sed in elato, sicco, perflato, ac sat amplo cubiculo eum perpetuo sumere ob eas maxime causſas, quas alibi posui (§. 69. 84.). Iuuat quoque, vt idem somnus prospere cuique cedat, eum in puro, mundo, sicco, ac lato cubili suscipere, quod nec molle nimis, nec nimis durum sit, ne alterutro modo dormituro officiat. Molle enim gracilibus, atque implendis corporibus vtile, ac durum extenuandis, atque adstringendis idoneum ex veterum consilio potius videtur, quam opportunum caeteris, qui neutrum exigunt.

446. Necesse praeterea est, vt omnes somni vtilitates quisque sibi comparet, ac profundum atque aequabilem experiatur, corpus nec nimiis stragulis, nec aequo paucioribus, grauioribusque obtegere; subuculam, aut indusium purum, raro etiam tunicam carni superinduere; in alterutrum latus decumbere, imo, si plus datum fuerit coenae, supra dextrum perpetuo iacere,

*) Seneca Epist. 22.

cere, ſupinum poſitum, niſi eum conſuetudo, aliaue cauſſa poſtulet, generatim vitare, caput non iuxta horizontem detinere, ſed puluinaribus aliquantiſper elatum, ne humile ſit, ac vix reliquis partibus ſuperſtet, in latus reclinare; crura paulliſper reducere; ac denique pedes prae caeteris partibus obtegere, ne vnquam frigeant.

447. Verum ad placidum, ac ſaluberrimum ſomnum conſequendum non ſufficit omnes eas regulas ſeruare, quas hactenus propoſui, niſi iisdem ſe adiungant aurea in victu ſobrietas, morum integritas, animique tranquillitas. Haec enim dum mentis perturbationes, anxietatem, metum, triſtitiam, aliaque ſomno inimica pathemata auertunt, ac quemque ſua ſorte contentum reddunt, ad aequabilem, profundum, ac ſalutarem ſomnum capeſſendum aptiſſimum pariter efficiunt.

448. Eſt etiam, quoad ſomnum non vna obſeruatio in infantibus neceſſaria. Vt enim longior, ac ſalubrior iisdem concilietur neque arctis faſciis, et pannis inuoluendi, neue vno perpetuo lateri adfixi detinendi ſunt. Praeſtat ſiquidem eos in cunis collocare induſio mundo et ſicco obuelatos, ac dein laxis pannis operire, atque ab vno latere in alterum inter dormiendum ſubinde conuertere, qua ratione mucidus humor, qui primis maxime ortus diebus abundat, e patulo ore facilius effluat. Hic quippe retentus tracheam, et fauces cum oppleat, anxium ſpiritum reddit, atque ob ipſam anxietatem ſomnum abrumpit.

449. Num vero ad longiores, arctioresque ſomnos iisdem conciliandos conducat, atque aliis etiam de cauſſis vtile ſit eos in cunis geſtare, ſolet a medicis magna contentione diſputari. Sunt enim, qui eiusmodi geſtationis ſpeciem ſaluberrimam recens natis quibusque exiſtiment, dum alii omnis vtilitatis expertem, ac periculi plenam arbitrantur. Vtrumque vero nimium

est. Nequit enim denegari lenem cunarum motum, qui corpus non succutiat, raro admissum, atque eo modo vsurpatum, qui ad caput vtpote elatum, ac puluinari innixum sanguinis maiorem affluxum prohibeat, membraque non exagitet, noxa carere, atque aliquas vtilitates infantibus interdum afferre, ac speciatim somnum, tranquillatemque iisdem interdum conciliare. Hoc proinde gestationis genus prudenter institutum ea commoda afferre non temere veteres omnes nos monuerunt, indicatis etiam casibus, in quibus vtile est, vt infantibus, atque istis quam proximis auxiliemur, cunam, aut lectum vni pedi subiecto fulmento huc, et illuc manu impellere. Contra vero neque singulis eiusmodi gestationem idoneam, plerisque superfluam, ac quibusdam, capite pectore, aliisue partibus affectis nocuam esse nemini dubium erit, qui huiusmodi motionis effectus consideret, eaque animaduertat, quae ad refraenandam prauam nutricum consuetudinem, quae infantum irrequiem, vagitum, gemitumque hac vna ratione tentant compescere, nuperiores medici plenissima doctrina protulerunt.

450. Sed hic quoque quaeri potest, quid censendum sit de altero ad somnum conciliandum auxilio, adultis opportuno, antiquioribusque probato, quod motus praestat pensilis lecti, vbi funibus suspensus ab vno in aliud latus leniſſime ducatur. Hac profecto gestatione cum furorem in phrenitide subinde moderari, somnum interdum adduci, ac nimios sudores saepe refraenari veteres obseruassent, ea quoque in secunda etiam valetudine vtebantur, aestiuis maxime diebus, eamque admittebant, vt lethargum discuterent, ventris inflationes ex aere soluerent, viresque confirmarent, vbi praesertim aliis gestationibus locus non esset. Verum etsi verosimile sit motu, et refrigerio ad somnum hanc gestationem conferre, cum nunc plane exoleuerit, de eius ad discutiendam vigiliam vtilitate certo iudicare

dicare non licet, imo valde dubium videtur, quod de eius facultate ad impetum humorum a capite reuellendum, ad vires excutiendas, atque ad earum abnormes quosdam motus compescendos olim prolatum est.

451. Praeter haec, quae hactenus protuli, de somni tempore, de dormitorio cubiculo, de cubili, ac de pensilis lecti motu tamquam subsidiis somno accersendo, atque adiuuando idoneis, alia quoque solent a diaeteticis commemorari, vt silanus iuxta cadens, balneum, atque alia, quae, ad somnum etsi non raro conferant, sanis tamen superuacanea sunt, nisi quaedam corporum proprietates ea postulent. Ob istas siquidem affectiones euenit etiam, vt silentium, et tenebrae, quae duo fere omnibus ad conciliandum somnum potissimum conferunt, eum in aliis non adducant, qui luce indigent, vel amicorum colloquiis, vel lectionibus, certisque sonis, vt facile dormiant. Ob illas causas accidit etiam, vt quibusdam non expediat, quod plerisque saluberrimum est, mane expergisci, atque illico e lecto consurgere, sed vtile sit, siue dormiant, siue euigilent, in lecto diutius, atque ad multum iam solem morari, quemadmodum ex insolito, aut graui labore praegresso orta fatigatio, cibi potusque repletio, tarda concoctio, et gracilis habitus diu in lecto permanendi necessitatem afferunt.

452. Vtrum autem ad tuendam valetudinem expediat meridiari, quibus id agere conueniat, qua diei parte, quo anni tempore, quoquo modo, adhuc disputant diaetetici. Quidam enim cum sufficere credant totis noctibus conquiescere, ac tunc tantum somni assumere, quantum fatigatum exigit corpus, existimant alienum, et nocuum esse bene valentes meridiari. Alii vero animaduertentes circa meridiem, longis praesertim diebus, ac reliquo etiam anni tempore post prandium, plerisque sua sponte leue somnum obrepere, conten-

contendunt meridiani somni vtilitatem ab ipsa euidenter natura commonstrari.

453. Porro sunt quibus meridiari, vt suam sanitatem tueantur, quae secus ob propriam corporis constitutionem consistere nequiret, prorsus est necessarium. In hoc censu veniunt infantes, litteris dediti, graciles, admodum sensiles, macri, ad tabem dispositi, phlegmatici, pituitosi, valetudinarii, ac senes ne ex tarda ciborum coctione, ex non mediocri, quoad eorum vires, lassitudine, corporisque imbecillitate laborent. Sunt praeterea qui meridianum somnum exigant aut quod ei assueuerint, aut quod bonam noctis anteactae partem insomnem transegerint. Apprime vero vtile est aestiuis mensibus, maximeque aestuoso coelo, quoniam prohibet ne corpora plus aequo diffluant, inarescant, atque infirmentur. Occurrunt nihilominus, quibus aut inutilis, aut nocuus meridianus somnus censetur; cuiusmodi habentur inassueti, totas noctes dormire soliti, somnum die potius, quam noctu sumentes, otiosi, parum exercitati, biliosi, sanguinei, ac qui denique corporis viribus adeo praestant, vt in iisdem ab excessu, non a defectu periculum sit.

454. Sed iis praeterea, quibus caeterum conducit, meridianus nocet somnus, vbi diutius, quam virium postulet ratio, protrahatur. Sunt enim qui non satis tutum, aut non salutarem saltem iudicent in lecto captum, aut in sede ad id apta susceptum capite non satis elato, nec corpore paullisper retro flexo, praesertim si post cibum sumatur; manifestius tamen, ac verius nocet plerumque eiusmodi somnus ob ligacula, fibulas, arctioresque vestes, quibus vinciuntur vt plurimum membra eorum, qui amicti meridiantur, quemadmodum nuperiores recte animaduertunt, dum istis circumeunti sanguini oppositis impedimentis (§. 75. 76.) praecipuas referunt causas aegritudinem, quas meridiani somni consuetudinem attulisse nonnulli tradiderunt.

runt. Caeterum disputari rursus solet inter eos etiam, qui meridianum somnum vtilem plerumque mecum iudicant, num ante cibum, an post ipsum tutior sit. In hac re plurimum valet consuetudo, etsi longis diebus meridiari potius ante cibum cum CELSO vtilius existimem. Interea tunc quoque plerumque prodest prius tantum cibi sumere, quantum, absorbto gastrico humore, ventriculi irritationem sedet, atque huius integritati, ac robori prospiciat.

455. Quid itaque somnus, quid vigilia ad tuendam valetudinem sibi vindicet, quidque in vtriusque vsu seruandum sit, vt alterutra res morbi caussa non euadat; ex iis scire, quae paullo ante proponebam, expeditissimum est. Neque ex iisdem arduum erit ita generatim constituere rectum vtriusque vsum in lentis, et chronicis morbis, vt auxilio esse queat, tum maxime in acutis, in quibus id speciatim agere artis est. Etenim, cum ea mala, quae a vigiliis, dum viget sanitas, nimium protractis nascuntur, in acutis passionibus, quae somnum plerumque arcent, frequentissime occurrant, atrocius saeuiant, atque acerbis capitis doloribus, molestis cogitationibus, conuulsioni, et inflammationi occasionem praebeant, curandum est, vt somno pro morbi indole, atque impetu accersito moderentur. Ad id conducunt commodus corporis situs, lecti et cubantis mundities, balnea pedum, semicupia, temperantia, anodyna, somnifera, aliaque genera remediorum suis locis proponenda, quae irritationem generatim leniant, temperent, ac speciatim cerebrum, et neruos ita afficiant, vt stimuli vim minus sentiant, aut eum superent.

456. Etsi vero in acutis morbis excessus in somno rarissime obseruetur, cum eorum phaenomena hoc laboris solatium, ac morbi leuamen saepe prohibeant, vel exiguum, irrequietum, aut insomniis, spectris, laruis, tetrisque imaginibus perturbatum afferant; nihilominus

lominus vbi modum, ac consuetudinem nimium excedat, morbi vim non consopiat, vires non reficiat, et sopori accedat, protinus debet congruis auxiliis auerti. Ex nimio enim somno in acutis morbis insignem virium iacturam, secretiones retardatas, atque imminutas, excretionum defectum, humorum vitia aucta, ac sensilitatis irritabilitatisque decrementum, indeque orta mala, sensuum internorum, externorumque hebetudinem, mentis aberrationes, neruorumque resolutionem Clinici non raro obseruarunt. Quae cum ita sint praestabit in morbis omnibus, maximeque in acutis ex sedula phaenomenorum consideratione eruere, quaenam vigiliae, et somni ratio conueniat, ipsamque speciatim deducere a morbi natura, causis, gradu et tempore, ac similibus, quae ad Clinicos propius attinent.

CAPUT XI.

De Excretis, et Retentis.

457.

Reputanti cuique humani corporis fabricationem, naturam, proprietates, atque officia perspectum erit ita ipsum esse constitutum, vt suas actiones, et functiones nequeat cito, iucunde, ac perpetuo exercere, nisi superfluae, vitiatae, ac nocuae particulae foras eliminentur, illae vero retineantur, quae vtiles, ac necessariae sunt ad vires, solidarum, fluidarumque partium instauratione, reficiendas. Nam a retento, quod debuisset excerni nimiis, alienis, acribus, stimulantibusque particulis corpus onustum, irritatum, ac multimodis affectum aut a morbo prope est, aut eodem corripitur; ab excreto vero, quod retinendum erat, inopia, et multiplici humorum vitio, solidorumque debilitate emacia-

emaciatum, infirmatum, ac diuerſimode laeſum aegritudinem contrahit: quemadmodum docent Pathologi, cum plura mala ab excretis, et retentis profecta enumerant.

458. Artis igitur eſt ſedulo proſpicere, ne ab vtraque cauſſa ſecunda valetudo in diſcrimen adducatur, neue aduerſa in deterius ruat, ac mutationes, quae in excretionibus ſani, aut aegri pro vtriusque aetate, temperie, vitae genere, ſexu, conſuetudine, coelo, ac tempeſtate fiunt, diligenter ſcrutari, vt mature nocui earum effectus arceantur. Quibus autem ſignis tuto cognoſci, diiudicarique poſſit in excretis, aut retentis vitium praeſto eſſe, quibusque modis ei ſit occurrendum, cum ex cuiusque evacuationis adhuc integrae effectibus tuto eruatur, ſolent hic loci Diaetetici humani corporis exinanitiones contemplari, quos proinde ſequar, attingens eas, a quibus facilius, ac frequentius valetudo in diſcrimen adducitur, aut grauius laeditur.

459. Exordiar autem a ſaliua monendo, cauendum eſſe, ne ea excreando abſumatur. Cum enim ad appetitum excitandum, ad cibos molliendos, et digeſtionem adiuuandam non exiguam vim habeat, praeter modum ſcreata ea affert mala, quae ipſa non ſecreta, aut parciſſime in os effuſa infert, atque imprimis coctionem laedit, viſcera obſtruit, ac maciem adducit. Quam ob rem praecipiunt diaetetici, vt ab eiusmodi exſpuitione prae caeteris caueant exſucci, macri, lympha inopes, graciles, ſtomacho languidi, neruis mobiliores, hypochondriaci, et melancholici.

460. Parum proinde valetudini conſulunt qui folia notiſſimae ſtirpis, quae *Nicotiana tabacum* dicitur, odore graui ac proprio donata, nauſeoſa, acria, et narcotica, vi ab oleo potiſſimum accepta, in funem contorta dentibus conficiunt, aut in fumum reſoluta fiſtula hauriunt, atque vtroque modo ſaliuam nimis eliciunt, eamque ſecretam continue exſpuunt. Niſi enim mucidus, et

laxus

laxus sit corporis habitus, pituita tracheam, et bronchia infarciat, ac saliuae ductus ita oppleat, vt facile egeri humor nequeat, aut serosus ad saliualia organa affluxus praesto sit, aut debeat serum a capite auocari, eiusmodi fumus alienus est, imo quotidie haustus tum suis viribus a stirpe acceptis, tum inopportuna, et nimia saliuae effusione non leui detrimento esse solet. Etenim Ill. et Cel. Tissoto auctore appetitum delet, praematuram senectutem adducit, vitamque breuiorem efficit, ac varias capitis, et pectoris aegritudines suscitat, praesertim cum acres humores reddat, ac cerebrum, et neruos laedat, vt alibi ipse etiam demonstraui *). Nec etiam cedit impune nimius vsus vel pastillorum, qui ob saporis gratiam a quibusdam ore saepe versantur, aut aromaticorum foliorum, quae Indi in ore detinent, ac crebro mandunt. Horum siquidem vi expressam saliuam, qui tam saepe, ac copiose exspuunt, fluidioribus, atque vtilibus particulis corpus exhauriunt, atque omnem coctionem subuertunt.

461. Sed cum de *Nicotiana tabaco* sermo incidit, abs re non erit hic quoque indicasse ex eius foliis in puluerem contusis, ac totis naribus attractis aliam excretionem sine vlla plerumqun vtilitate, ac saepius non sine aliquo salutis incommodo incitari, nempe muci, qui in naribus secernitur. Licet enim demus instar auxilii raro vsurpatum hoc pulueris genus, de quo alibi dicam, interdum vtile esse, atque ob consuetudinis vim parum, aut saltem non manifeste officere, quatenus copiam muci inopportune educit inter causas annumerari debet, quae vtilis humoris iactura valetudini obsunt; ne dicam ipsum obesse, quia olfactus neruos irritat,

*) De Animalium ex mephit. et nox. halit. interitu Lib. 3. Cap. II.

irritat, atque infirmat, et eo quidem magis, quo tabacum, quod trahitur, acrius est.

462. Sanguinis item, quae pro sexu fiunt, ac pro corporis proprietate, excretiones vel retentae, vel praeter modum effusae sanitati non parum officiunt. Sunt huius census haemorrhagia narium in pueris, haemorrhoidum fluxus in adultis, ac menstruorum sanguis in feminis: quae quidem periodicae exinanitiones, quae siue stato tempore non erumpant, siue parcius, quam soleat, aut deceat, se prodant, siue subsistant, varia non leuia mala inferunt. Summa proinde cura prospiciendum erit, ne istae exinanitiones defectu, excessu, aut ordine a natura, aut consuetudine desciscant. Id prohibetur sollicita cautae, quae in excretis, et retentis perturbationem minitatur, amotione, quam speciatim praestet prudens in vsu non naturalium rerum inducta mutatio. Haec enim rite, et mature instituta eiusmodi sanguinis fluxibus vel deficientibus incitandis, vel nimiis moderandis plerumque sufficit.

463. Quae vero exinanitiones per cutim, vrinas, atque aluum fiunt, quemadmodum magis naturales sunt, vberiores caeteris existunt, ac propius vniuerso corpori prospiciunt, sic defectu, ant excessu validius, et grauius reliquis sanitatem laedunt. Porro cutis exhalatio, quae aliis copiosior censetur, cum a consueto ordine aberrans plurimis morbis causam praebeat, singularem exigit curam ne copia deficiat, aut excessu laboret. Vtrumque auertitur vitatis communioribus vtriusque mutationis causis, ac speciatim subitas, quae in aere fiunt, quoad temperiem, humoremque, conuersiones declinando, idoneis vestibus corpus muniendo, quae vel frigus, vel calorem arceant, atque iis omnibus praeceptis seruatis, quae iam de recto vsu aeris, cibi, et potus, motus et quietis, ac vigiliae, et somni suis locis fuse proposita sunt. Harum quippe omnium rerum prudens administratio insignem vim habet ad natu-

ralem cutis exhalationem tuendam, cum prohibeat ne corpori accidat, quod ei vel insolens, vel nimium sit.

464. Quod si praeter modum insensilem, vt dicunt, cutis emanationem intendi, vel sudorem, cui quis assueuerit, consuetos limites excedere debilitas, languor, aliarum exinanitionum, atque vrinae praesertim inopia significauerint, protinus ipsam excretionem oportet moderari. Hoc fit modo quiete, aut minori exercitatione, modo frigidioris aeris, leuiorumque vestium vsu, modo sobrietate in cibo, et potu, modo temperantium, ac refrigerantium esculentorum et poculentorum delectu, tum speciatim eorum, quae ad vrinas humorum impetum determinant, modo aliis pro diuersa nimis auctae cutis exhalationis caussa admodum variis auxiliis prudenter vsurpatis. Deficientem vero, aut imminutam perspirationem, vel consuetum retentum sudorem, cui non satis aucta vrinae, aut alui egestio prospiciat, vel etiam, si id accidat, nimiam, diuque impeditam cutis exhalationem restituunt corporis frictiones, exercitationes, modicus aeris calor, grauiorum vestium vsus, calidae aquae potus, calidum cubile, mora in eo ad meridiem saltem protracta, cibi et potus idonei vsus, vtriusque copia interdum aucta, calida balnea, aliaque huius census, quae persequi non vacat. Quod si haec siue ad moderandam, siue ad incitandam cutis emanationem sufficere non videantur, ad ea est transeundum auxilia, quae ars salutis praeses ex aliis fontibus promit.

465. Verum cum tanti interfit istam emanationem secundum naturam perpetuo seruare, cur huius legibus componere nunc homines negligunt maiori cutis munditie, balneo, atque vnctione, quibus veteres propriam valetudinem diligentissime curabant? Profecto ego caussas non video, ob quas possim cum plerisque admittere, siue frequentis lotionis, siue balnei, frigidi, aut calidi, siue vnctionum inutilitatem. Quae enim

adduci

adduci solent de mutata victus, maximeque vestium, ac rei lintearíae ratione, de intermissis quibusdam exercitationibus, deque nouis aliis vitae vsibus, ea sane non arguunt ita corporum proprietates viuentibus nobis esse mutatas, vt vel sanis superflua, vel aegris raro proficua sint ista, quae veteribus erant quotidiana, tuta, vtilissimaque praesidia ad conseruandam, restituendamue sanitatem. Est porro adhuc, semperque erit sua vtilitas lotioni, quae corpus abstergit, aperit, a sordibus eluit, ac magis idonea efficit oscula vasculorum ad humorem exhalandum, vel absorbendum. Erit quoque sua efficacia balneo, quod cutim humectat, calorem aut moderatur, aut excitat, ac fluidas partes sanguini tribuit, quodque nouos effectus affert, quos alibi fuse perquiram, prout calidum est, aut frigidum, ac proinde emollit, et laxat, diducitque, vel roborat, excitat, et reprimit. Erit denique virtus vnctioni, quae humectandi, emolliendi, laxandi, et obstruendi fine a veteribus crebro instituta, fatigatis, e calido balneo exeuntibus, gracilibus, exsuccis, atque aliis non paucis prodesse solebat.

466. Ista porro omnia bona lotionem, balneum, atque vnctionem afferre satis docent, ne de veteribus dicam, eae Gentes, quae iisdem praesidiis adhuc vtuntur, ac docent effectus, quos in morbis tentata edunt, etsi etiam in istis rarius, quam expediret, administrentur. Ad plura sane genera morborum lauationes, vnctionesque aptae videntur, quam hodie soleat communiter a medicis iudicari, qui externam medicinam ab antiquioribus magni factam, ac valde proficuam futuram male contemnunt. Ego sane relictis hisce praesidiis tribuendam esse coniicio quorundam morborum frequentiam, ac difficilem curationem. Porro nonne frigido balneo infantes, tenerique pueri a rachitide, aliisque malis conualescunt, imo praeseruantur? Nonne ipsi a morbis aliis calido lauacro,

quod aqua, lac, vel oleum praeſtet, curantur? Nonne vnctiones vtiliter vulgus vſurpat? Quid quod ipſa in mari, in lacu, in fluuio, aut in piſcina veterum more ſuſcepta natatio ſuas vtilitates pollicetur, atque ipſi pollicentur luſus, quos ſub aqua pueri, atque adoleſcentes antiquitus ſuſcipiebant?

467. Quod ſi nolit, qui ſalutarem artem profitetur hiſce rationibus cutis emanationem regere, aliaque commoda afferre, ſtudeat ſaltem ſuadere, vt omnia illa vitentur, quae cutis emanationi officiunt, atque aliis etiam de cauſſis nocent, ac ſpeciatim ne quis fuco, aut pigmento faciem obliniat, vt ei candorem, ac ruborem inducat, etiamſi innocuam materiem ad id vſurpet, ne capillos puluere ſpargat, ne caput humido, frigidoque aeri nudum obiiciat, aut non apte obuelatum, aut contra nimium obtegat. Neque dedignetur inſpicere cui coma nimia ſit, cui caput ad cutim radere ſit idoneum, cui ipſum calida frigidaque eluere: quae quidem ſingula a cuiusque proprietatibus declarantur.

468. Vrina autem ſicuti qualitate, et copia, aut vtroque modo nocere poteſt, ſic conſiderationem in ſanitate requirit, vt iuxta naturam ſeruata hanc ipſam cuſtodiat. Ergo praeſtabit ei rationem habere, cauendo tamen ne cum quibusdam admittatur tamquam tutiſſimum de eius natura iudicium a ſolo colore petitum, ac generatim cum Celso conſtituatur integrum corpus eſſe, cum quotidie mane vrina alba, (ſeu ex albo rufeſcens, vt ſolet interpretari) dein rufa eſt. Nam etiam ſi demus in priori caſu vrinam inchoatam coctionem ſignificare, in altero iam abſolutam oſtendere; a cibo tamen, a potu, ab aetate, a temperamento, vitae genere, regione, tempeſtate, et ſimilibus tot diſcrimina in vrinae colore naſcuntur, vt ex eodem nequeat de naturali, et optima eius conditione iudicari.

469. Quod

469. Quod si excedere, aut adeo deficere copia vrinarum videatur, quae pro varia cuiusque proprietate varia est, neque a fortuita caussa, atque imprimis aucta vel retenta cutis emanatione mutatio pendeat, ne sanitas in discrimen adducatur, protinus praestabit ad naturae ordinem eam reuocare: quod inter initia, cum nondum morbum attulerit, diaeteticis tutius auxiliis, quam medicamentis consequitur. Nimiam porro vrinam moderantur corporis quies, diutina in cubili permansio, quod molle sit, et calidum, alimenta, quae roborant, et leniter adstringunt, parcissimus potionis calefacientis, atque adstringentis vsus, frictiones, atque alia, quae ad cutim speciatim ducunt, aliasue exinanitiones promouent. Ea vero, quae refrigerant, temperant, perspirationem, ac reliquas excretiones imminuunt; aquei humoris in sanguine proportionem augent, vel eidem aquam tribuunt, ad incitandam, promouendamque vrinam plurimum valent. Caeterum cum multa praesto sint mala, et grauissima quidem, ab vrina diu retenta, sicuti nonnulli imprudenter faciunt, caueat quisque, ne pro officio, munere, casu aliquo, aut praua consuetudine rarius, quam deceat, exigatque natura, vesicam exoneret.

470. Summam praeterea curam exigit, quae per aluum fit consueta recrementorum egestio, cum ipsa aequo rarior, aut solito crebrior plurium morborum caussa existat. Quis enim est, qui ignoret, quot quantaque mala praesto sint, quoties nimia partium, ipsorumque recrementorum siccitate, aut copia pariter nimia, vel ex debilitate intestinorum aluus subsistat? Quis nescit ab eadem nimis laxa, nimisue crebra, et copiosissima quot, quamque grauia cuique accedant incommoda? Profecto haec vel neminem latent, vel a Pathologis, et Clinicis peti possunt, qui eorum caussas, effectus, ac curationes exponunt.

471. Protinus igitur ac aluum praeter naturam cohibitam, aut effusam ex aliquot aduersae valetudinis signis cognoscimus, aut ex vitii diuturnitate damnum veremur, aluus incitanda est, aut cohibenda. Id vero vt tutissime constituatur, ac perficiatur, neque a raritate, aut frequentia deiectionum, neque ab eiectae materiae inopia, aut quantitate, nimia excretio, aut retentio metiatur, sed ab effectibus, qui a mutato huius exinanitionis ordine in quocumque se exserunt. Sunt enim, qui ob singulares proprietates optima valetudine fruantur, etsi bis saltem die, nec parum quidem, ex aluo deiiciant, dum alii pariter existunt, qui sine vlla passione nonnisi bis, aut semel in hebdomade aluum exonerant.

472. Vbi tamen aluo siue obstructae, siue fluenti sit prospiciendum, id diaeteticis potius auxiliis fiat, quam medicamentis. Ab his siquidem tunc solum iuuat alui deiectionem, vel adstrictionem petere, quando malum praesens iam est, aut imminet, vel mutata victus ratio nullam opem attulit. Porro fluenti aluo contraria sunt quies, calidum cubile, sobrietas in cibo, ab eoque subinde abstinentia, vina acidula atque austera, oryzae, ac similium cremores, ac generatim cibi, et potus omne genus, quod ad cutim pellit, atque intestina confirmat, leniterque adstringit, tum illa, quae cuique fluxus causae speciatim obsistunt, modo temperantia, modo quae corruptionem impediunt, modo quae aliis pro re nata viribus donantur.

473. Contractam vero aluum tuto relaxant cibi ac potus quidam idonei, imprimis qui diluunt, et laxant, pinguia nempe iura, mollia, et succulenta olera, lac, eiusque serum, ptisanae cremor, decocta vel furfuris, vel brassicae, aliarumque stirpium, quibus oleum, vel butyrum, mel, aut saccharum adiiciuntur, vina dulcia, et crassa, omniaque fere tepida, pinguia, salsa, et diluta, aliaque similia liberaliter assumpta, quibus veteres

res sanorum aluum facile, et tuto citabant. Quod si haec ad aluum in sanis molliendam non valeant, etiam si fuerint leuiorum vestium vsu, matutina ambulatione, ac similibus adiuta, sitque ad medicamenta confugiendum; praestabit nondum labefacta valetudine, nec materie admodum turgente, aut prauam naturam adepta aluum infusis potius clystere lotionibus, quam ore assumptis pharmacis molliri. Nam illae plerumque sufficiunt, stomachum, ac tenuia intestina non infirmant, nec purgationis pernicioſam consuetudinem relinquunt, nec ventrem subsequis diebus, vt saepe accidit, magis adstringunt. »Purgationes enim, inquit Celsus *), »vt interdum necessariae sunt, sic vbi frequentes sunt »periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, »et ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis obno»xia maxime infirmitas sit.«

474. Caeterum cum ipsis etiam vtimur clysteriis curandum est ne iisdem corpus assuescat, neue iniiciantur, quae stimulandi vi praedita, multisque donata sint facultatibus, ac proinde ex istis quoque incommoda consuetudo inducatur, ac robur intestinorum eneruetur, aliaeque parum tutae, ac nocuae mutationes oriantur. Itaque et raro iniiciantur lotiones, atque ex iis confectae sint, quae dura mollire, contracta soluere, atque intestina relaxare, horum tunicas oblinire, ac lubricare tuto, et facile possunt. Haec, alibi proponenda, cuique comperta sunt, iisque antecellit oleum, quo fere solo infuso antiquiores cum aduersa nondum praesto esset valetudo, aluum citabant.

475. Ne autem ex aluo siue cohibita, siue effusa sanitas in discrimen adducatur ea prae caeteris seruanda erunt, quae ex vtraque causa futuras noxas mature auertunt. Melius est enim vitium arcere, quam ei semel admisso, eiusque effectibus occurrere. Quare

*) Lib. I. cap. III. p. 27.

moneo ad ordinatam alvum conseruandam plurimum conferre prudentem in cibo, et potu sobrietatem, moderatam corporis exercitationem, auream in rebus omnibus mediocritatem, ipsamque consuetudinem ab ineunte aetate susceptam matutinis horis, etiam si nulla vrgeat necessitas, desidendi. Id enim agere, et tutum esse, dummodo nimia vis, aut diutinus nisus non adhibeatur, et valde commodum ad quotidie certo ordine, certaque copia aluum exonerandam nuperiores Diaetetici recte tradiderunt.

476. Sed ne superflua, aut nocua in intestinis congeratur materies nonne rectius prospiciet, qui veterum exemplo quoties eam in stomacho haerere cognoscat, toties vomitu reiiciat? Profecto etsi Asclepiades de sanitate tuenda differens, vt tradit Celsus *), vomitum eiecerit offensus eorum consuetudine, qui quotidie eiiciendo vorandi facultatem moliebantur, ipse quoque, si quid iam corruptum esset, expelli debere confessus est. Hoc sane praesidii genus, dum et modo, et nonnisi cum opus est, vsurpetur tam vtile habeo, ac pro corporum, temporumque ratione interdum cum Celso tam necessarium reputo, vt ab eius perpetua fere abstinentia, quae nostris diebus obtinet, plura digestionis vitia, et frequentiam morborum, quos corrupta in stomacho, et intestinis materia suscitat, aut fouet, soleam magna ex parte deriuare. Quare tepida aqua, mulso, apto stirpium infusu, similibusque, quibus salis, aut olei, aut mellis paulum veteres adiiciebant, vomitum, quem mouent quin stomachum infestent, tentare quandoque iuuabit, atque in eius vsu, quae sapienter tradit Celsus maxime sequi.

477. „Vomitus, inquit **), vtilior est hyeme, quam „aestate. Nam tum et pituitae plus, et capitis grauitas maior subest. Inutilis est gracilibus, et imbecil-

„lum

*) **) Loc. cit. p. 26.

„lum ſtomachum habentibus. Vtilis eſt vero plenis, „et bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel „parum concoxerunt. Nam, ſiue plus eſt, quam quod „concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur, non opor„tet: Si vero corruptum eſt, nihil commodius eſt, „quam id, qua via primum expelli poteſt, eiicere. Ita„que vbi amari ructus cum dolore, et grauitate prae„cordiorum ſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt. „Item prodeſt ei, cui pectus aeſtuat, et frequens ſaliua, „vel nauſea eſt; aut cui ſonant aures, aut madent oculi, „aut os amarum eſt. Similiterque ei, qui vel coelum, „vel locum mutat, etc. Itaque iſtud luxuriae cauſſa „fieri non opportere confiteor. Interdum valetudinis „cauſſa recte fieri experimentis credo. Commoneo „tamen ne quis, qui valere, et ſeneſcere volet, hoc „quotidianum habeat.“

478. Denique cum ſemen, quod maribus ad perennandam ſobolem natura conceſſit, ſanitatem non parum laedat praeter modum vel effuſum, vel retentum, curandum eſt ne alterutro modo noceat. Primum enim vbi fiat debilitas, capitis dolor, ſenſuum hebetudo, febris hectica, et tabes, alterum vbi accidat, quod tamen rariſſime patet, varices, et dolores funiculi ſpermatici, teſtium tumores, et deliria accedunt. Nec obſeruatio aliena eſt feminis, ne in ipſis fiat illius humoris, quem concubitus tempore effundunt, immodicum diſpendium, aut praeter naturam retineatur. Languor enim, debilitas, et macies nimiam eiusdem liquoris effuſionem excipiunt, quemadmodum retentioni nymphomania, furor, et conuulſiones ſuccedunt. Quare ne vtrumque vitium maribus, et feminis accidat ſtudioſe proſpiciendum erit ſobrietate in victu, prudenti omnium rerum vſu, morum integritate, recti conſcientia, ac vigili ſenſuum cura. Haec enim cum impediant veneris abuſum, quae rara corpus excitat, frequens ſoluit, quaeque frequens non numero eſt, ſed ratione aetatis,

aetatis, corporis, et virium, impediunt quoque ne inutilis, et nocua fiat feminis, ac feminei liquoris effusio, quin prohibeant ne vbi vterque retentus copia noceret inter dormiendum vltro effundatur.

479. Quae quidem omnia, quod initio posui, luculenter demonstrant plurimum in excretis, et retentis defectum, atque excessum nocere; ac proinde sanitatem consistere non posse nisi intra mediocritatis limites quaelibet excretio contineatur: quod quidem appositio rerum non naturalium vsu pharmacis longe tutius, et citius consequimur. Praesertim vero cum oporteat paullatim in incitandis, aut moderandis excretionibus, si quando aliena inualuerit consuetudo, mutare, quod defectu, aut excessu nociturum cognoscitur, ac perpetuo, vt docet Celsus „cauendum sit ne in secunda „valetudine aduersae praesidia consumantur.“

CAPUT

CAPUT XII.

De Animi Pathematibus.

480.

Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia sunto mediocria, inquit HIPPOCRATES, rectèque deducit GALENUS ea sententia animi quoque pathemata comprehendi, seu eos motus, qui cum non sine manifesta, et vehementi fiant corporis commotione, rectius a M. TULLIO *) perturbationes vocari summus Philosophus REIDIUS arbitratur **). Ob arctissimum vero nexum, mutuamque consensus legem corpus inter, et mentem, qua vnum in aliam, ac viciſſim, agere scimus, licet modus, quo id accidat, adhuc ignoretur, euenit vt eiusmodi animi motibus magna sit vis in humanum corpus, magnaque ab iisdem fiat neruorum, musculorumque ministerio modo in deterius, modo in melius mutatio. Porro cum ab animi perturbationibus pro diuerso mentis consilio, aut pro dissimili eius cogitatione, et determinatione ac pro varia corporis affectione cerebri, neruorum, ac cordis, musculorumque voluntati famulantium potentiae, atque actiones, sensilitas, irritabilitas, sanguinisque circuitus magnopere excutiantur, atque incitentur, vel contra valde imminuantur, et segnescant, perturbationes ipsae possunt sane momento fere temporis, ac summa vi vniuersum corpus immutare.

481. Quem-

*) Tuscul. Quaest. 4.

**) Essays on the active powers of man. Edinb. 1788. Ess. III. C. VI.

481. Quemadmodum vero orta inde mutatio, vel magnitudine sua, aut vehementia, vel inopportuna, ac prorsus insolita actione laedere potest, ipsaque plerumque solet corporis valetudinem labefactare, quanto magis, vbi accidat debili chronica passione detento, ac maxime ex acuto morbo cubanti, detrimento erit? Adeo sane in acutis praesertim malis animi pathemata infensa existunt, vt naturae et artis salutares operationes peruertant, ac vitam interdum in discrimen adducant, interdum etiam certis sub conditionibus adimant. Licet enim visum sit quosdam [illegible]mos ob vehementem aliquem affectum, eam in corpore passos mutationem fuisse, quae illico morbum etiam grauissimum vicerit, saepius animaduersum est ob easdem causas plerosque spiritum repente amisisse. Ergo cum tanta, ac plerumque in deterius fiat ab eiusmodi animi pathematibus in sano, atque aegro actionum, ac functionum conuersio, ac proinde eadem inter morborum causas a Pathologis enumerentur, atque interdum ab iisdem animi motibus opportune prudenterque excitatis tueri sanitas possit, atque aduersa valetudo plurimum leuari, pronum est cuique intelligere, cur inter sanitatis praesidia, ac morborum auxilia pathematum moderamen magnam partem sibi vindicet.

482. Quamquam autem eiusmodi perturbationes, quae virium aut incremento, aut decremento noxam minitentur, et inferant, ab humano animo prorsus euelli non possint; possunt tamen aut praecaueri iis corporis affectionibus remotis, aut prohibitis, quorum vi perculsa, turbataque mens ad subitos, atque inopportunos, nimiosue motus corpus adducit, aut prohiberi etiam vitatis caussis, quae, vt metuimus, aut ex perspecta cuiusque animi indole, atque habitu iam didicimus, ipsam mentem proxime tot, aut tam validis igniculis, commotionibusque

busque percellunt, vt ipsius perturbationes necessario, subita veluti orta tempestate in corpore se prodant, ipsumque multimodis exagitent, atque in magnum discrimen coniiciant. Possunt rursus, cum suis iam signis harum commotionum effectus se produnt, etiam moderari iisdem occurrendo iis omnibus praesidiis, quae Religio, ac Philosophia, ipsaque Medicinae studia nobis afferunt. Quod si tantus sit tempestatis feruor, vt eius fluctus illico nequeant compesci, aut saltem subito sedari non sine nouo discrimine possint, nonne possunt vel ab ipso, qui hac tempestate colluctatur, cum ianimus vis deferbuit, vel ab eo, qui pacatus, et sapiens tantum alterius discrimen videt prudenter excitatis effectibus, quae praesentibus aduersentur, oppositio veluti tuto, et salutari vento, remouere, tranquillitatemque ita restituere, vt nulla a periculo aut minora saltem damna supersint?

483. Ista sane praestare saepe possumus praesertim cum mutationes, quae in corpore fiunt, siue hoc ipsum excitent, siue atterant, suis se prodant signis, pro diuerso affectu admodum variis in quacumque fere parte, maximeque in vultu conspicuis. Sunt eiusmodi pallor subitus faciei, aut rubor oculorum remissus, aut viuidior, toruus, aut laetus, ac teter, aut misericors obtutus; supercilia, et tempora intenta, aut collapsa; lacrymae sponte deciduae; suspiria, atque anxius, et breuis aut lentus spiritus; cordis palpitatio, in eius scrobiculo molesta contractio, et praecordiorum oppressio; risus, cachinnum, mentis alienationes, tremores, conuulsiones, furor, brachiorum inconditi motus, pedum supplosio; vires vel subito resolutae, vnde deliquia, aliaque mala, vel subito, ac nouo robore mirum in modum auctae; iisque ferendis laboribus, agendisque rebus pares factae, quae secus corpus aggredi, ac su-

ſtinere non potuiſſet; frigus, et calor ſe mutuo excipiens; ſudores frigidi; aliaque plura, quae cuique compertiſſima ſunt.

484. Cuique autem affectui vt propria eſt phaenomenorum ratio, et propria actio, ſic eidem ſingularis eſſe debet medicina. Porro gaudium, quo animus mouetur cum ratione iucunde, niſi nimia voluptate vires eneruet, quod vbi fiat hominem extemplo poſſet perimere, nec nimis crebro accedendo cordis motum perturbet, noxa caret, et plane ſalutaris laetitiae effectus habetur. Laetitia vero, cum et inaniter, et effuſe, vt cum TULLIO loquar, animus exultat, tum illa laetitia geſtiens, vel nimia dici poteſt ſine ratione animi elatio, quatenus vires incitat, et motum humorum intendit, ſaluti proſpicere ſolummodo poterit, quando raro, et leniter accedat; nam ſecus crebra, et vehemens ſummopere nocet. Ab vtriusque porro pathematis exceſſu tuebimur deſideria quaeque moderando, cupiditates reprimendo, atque animum ita temperando, vt quoties laeti aliquid nobis accidit, id nimis inſolens, nimisue grande nunquam exiſtat.

485. Cauendum pariter eſt, ne ab oppoſito animi pathemate, quod triſtitiam, aut moerorem appellamus, atterantur corporis vires, functiones omnes ſegneſcant, ac corpus ipſum macie fere conficiatur, ac proinde vbi eiusmodi aegritudo incidat, protinus expedit vario oblectamenti genere, ac ſpe, ſeu opinione futuri boni eam diſcutere. Neque minor obſeruatio neceſſaria eſt in iis, qui litteris, aut negotiis dediti diutinis, et profundis lucubrationibus incumbunt, ac continuis curis diſtinentur, ne ſcilicet nimia cogitatione, nimiaue ſollicitudine ſanitatem amittant, multiplices, et graues paſſiones contrahant, ac praematuro ſenio confecti vitae terminum accelerent.

486. Sua praeterea sorte homo contentus, in quo potissimum humanae sapientiae studium consistit, declinabit vtique damna, quae inuidia, auaritia, ambitio, aut validum quoduis desiderium non expletum infert, ac maxime amoris illa species, qua furiosa quadam animi commotione, summoque impetu quis interdum rapitur vehementer in veneris praesertim interdictae voluptates cum summo sanitatis et vitae discrimine. Hoc siquidem, vt notum est, animi pathema, vehemens, atque effraene vbi sit, tum primum virium, et motuum incremento, tum postea contraria ratione operando ad teterrima quaeque mala inducendo accommodatissimum euadit. Mature idcirco huius desiderii effectibus occurrendum: quod fit diligenti sensuum cura, fuga ab obiecto amoris, reuocatis cogitationibus ad res alias oppositas, ad negotia, ad studia, ad labores, sobrietate in rebus omnibus, victu interdum variato, coeli mutatione, amicorumque consiliis quae omnia tunc maxime necessaria sunt, ac maturius, et studiosius amplectenda, quando aut non decet, aut non licet amorem ipsum explere.

487. Ira vero, seu illa animi excandescentia, qua, inquit Tullius, libidine puniendi eius, qui videatur laesisse iniuria, nihil recte fieri, nihil considerate potest, qui percitus est, tanto impetu contendit, vt motibus omnibus in summam vehementiam concitatis, tenuioribusque diffiatis partibus, quam facile sanguinis fluxu, vomitu, aut bilis ex aluo profluuio, conuulsione, epilepsia, delirio, aut febre, atque inflammatione corripiatur. Nec ista tantum effecit abnormis hicce animi motus, vbi debiles, graciles, ac mobiles, et morbis neruorum obnoxios prehendat. Eos enim interdum exanimasse quaedam docent exempla, contra Galeni sententiam, qui ex hoc pathemate neminem vitam amittere tradidit.

488. Itaque cum tot mala afferat ira, et arduum summopere sit ob summam praesertim temperamenti vim in quibusdam impedire quominus se exserat, aut eam, cum inuadit, moderari; curandum saltem est, ne aliquis eiusdem irae, postquam se exseruerit, effectus placato iam impetu supersit, simultas, aut indignatio, aut vindictae desiderium, aut angor, odiumue, quae pathemata multimodis nocent, naturae actiones euertunt, squalore, et macie corpus obterunt, atque ipsum animum conficiunt. Id obtinemus aut veniam orando, aut liberali, magnoque animo aliorum culpae ita ignoscendo, vt quies, pax, et securitas irae succedant, quae, et sanitatem custodiunt, et longaeuitatem, felicitatemque adducunt. Quae quidem eo diligentius, ocyusque praestanda sunt, quo protractae seu inueteraſcentis irae commotionibus vbi odium succedat, morbidi illi affectus, quos parit ira, lente ingruant, atque adeo inualeſcant, vt difficillimum postea sit iisdem mederi.

489. Neque minori sedulitate ac promptitudine occurrendum terrori, quo ex praesente periculo horret animus, tum pauori, quo ex horrore futuri vehementer tunditur, tum metui, quo opinione impendentis intolerabilis mali angitur; quatenus in grauissimis hisce perturbationibus, quas pallor, tremor, horror, frigus, et dentium crepitus patefaciunt, cerebri, et neruorum, ac cordis vasorumque functiones omnes confestim peruertuntur, viresque adeo infirmantur, vt grauissimos inferant morbos, qui mentis operationes deprauent, aut mortem etiam accersant. Quam ob rem matura, imo ab ineunte iam aetate curandum ne quis meticulosus fiat, aut terrebundus quidquam horreat, imo ita impauidus euadat, vt quascumque ferat ruinas. Nunquam idcirco teneris pueris suadendum, quocumque consilio id fiat, spectra, inania simulacra, mortuorum vmbras, aberrantes

rantes ſpiritus, aliaque eiusmodi fabularum plena praeſto eſſe, nec quidquam erit cum iisdem agendum, quod metum, pauoremque incutiat. Ex hac quippe peſſima conſuetudine, quae grauium malorum fons ſaepe exiſtit, vis animi ad magnarum rerum fiduciam comparati adeo infringitur, vt meticuloſus, et pauidus quisque fiat, iisque facile incommodis obnoxius, quae a terrore metuque naſcuntur, adoleſcat, imo maturam etiam aetatem conſequutus nec vanos ſuperare terrores, ſtrepitusque vincere queat, nec multis, magnisque rebus agendis par euadat, aut ſaltem iisdem faciendis natus ſibi non videatur.

490. Quae autem de pathematibus hactenus propoſui, cum, vt iam dixi (§. 481.), aegros longe magis afficiant bene valentibus, ſintque ſaepe ad vitam abſumendam aptiſſima maxime in acutis, quemadmodum Pathologi, et Clinici ſpeciatim perhibent, maiori obſeruatione curanda erunt, quae de iisdem moderandis, opportuneque excitandis prolata ſunt. Neque generatim in morbis expedit pathematum rationem nunquam negligere, ſed maxime iuuat ei quam diligentiſſime reſpicere in feminis natura ſenſilioribus, tum vterum gerentibus, tum foetum enixis aut puerperis. Quoties enim a nuntiata grauidae mulieri, aut recens enixae alterius eodem in ſtatu ſe habentis morte, aut diſcrimine, vel a metu, aut terrore aliis etiam modis eidem inducto animaduerſum non eſt tantam illatam fuiſſe perturbationem, quam abortus, haemorrhagia, lochiorum retentio, vteri inflammatio, conuulſiones, aliaque mala exciperent, morte ſaepe finienda? Quoties viſum non eſt ab imprudenti medici praedictione mobiliſſimos homines peſſime habuiſſe, neruorum vero morbis, aliisue aegritudinibus detentos vitam cum morte commutaſſe?

491. Quam ob rem oportet omnia, quae aegrorum animos exasperatura sunt prudenter subtrahere, quae contentionem pariunt remouere, ac cuncta ita componere, ac praeuidere, vt immodicae quaecumque animi commotiones prohibeantur, vel si quae perturbationes praesto sint, protinus leuentur, oppositis etiam affectibus caute suscitatis. Aduersus omnium autem animos se pro cuiusque natura medicus gerat imitatus, quod in curatione insanientium necessarium CELSUS iudicauit *). „Quorundam enim, inquit, vani metus „leuandi sunt; sicut in homine praediuite famem ti„mente incidit, cui subinde falsae haereditates nuntia„bantur: quorundam audacia coercenda est....; quo„rundam etiam intempestiuus risus obiurgatione, et „minis finiendus: quorundam discutiendae tristes co„gitationes; ad quod symphoniae, et cymbala, strepi„tusque proficiunt.“

492. Porro cum de musices concentibus sermo inciderit, cuius modulis percipiendis aurem comparatam non habemus modo, sed iisdem promptius rectiusque excipiendis prae reliquis animalibus aptiorem, quemadmodum Ill. et Cel. Collega SCARPA demonstrauit **), cum ad animum recreandum, atque immutandum corpus non mediocrem vim habeat, periti artificis erit sanis et aegris ex ea etiam auxilium petere. Nonne enim iam a veteribus est vtilitas eius satis euicta in quouis delirii genere, in affectione hypochondriaca, in melancholia, atque in morbis conuulsiuis, in febribus quibusdam, aliisque affectibus, quos nimium esset recensere? Nonne nuperiores etiam artis professores veterum more nunc modulis, nunc cantilena, nunc cantionibus tibiarum, nunc organo, aut psalterio, nunc fidi-

*) Lib. III. Cap. XVIII. p. 136.
**) Anatom. Disquisit. Sect. 2. Cap. 4.

fidibus, citharisque, quae antiquas modulationes Phrygiam, Lydiam, et Doricam exprimerent, vsi sunt feliciſſime in morbis non paucis leuandis, aut diſcutiendis?

493. Etsi autem muſices vsum ad quasdam aegritudines vincendas, atque ad triſtes etiam e sanorum animis affectus remouendos accommodatum iudicem, atque ad tam iucundum medendi genus, vbi expediat, allicere velim medicos; non is tamen sum, qui vel tibiarum cantiones, ac symphonias agere, aut pulsare organum semel aut bis die in peramplis valetudinariis, vt quibusdam locis sit, vtiliſſimum semper credam. Etenim scio quosdam infirmos ab eiusmodi sonis nihil affici, ac quosdam nimium conuelli, ac manifeste laedi, praeſertim quod nouerim mobiles admodum feminas, ac senſiliores quosdam viros, qui, etsi morbo carerent, quosdam sonitus, ac maxime organi, et sidium audire nequibant, quin vel animo deficerent, vel tremore, conuulsionibusque corriperentur. Ergo artis erit hoc etiam praesidium non indiscriminatim, sed opportune, apteque adminiſtrare.

494. Caeterum in morbis curandis, ac maxime acutis, vt animis aegrorum medicus proſpiciat, non tantum ea praeſtet, quae alibi monui (§. 33. 45.) sed ſtudeat inanem timorem ſpe salutis diſcutere; imo aegrum in ſpem, etiam cum exigua ea eſt, paullatim erigere, ira praeſertim abſtinere, et si quis vitae metus ſubſit eum probabili ſermone modo occultare, modo conſolatoriis verbis lenire, ne cubantem in deſperationem coniiciat, vel protinus nimium commoueat.

495. Dum autem ita se gerit, et placide omnia praeſtat, num vbi certum videtur exitium, expediat ipſum medici potius ore, quam amicorum, propinquorumque verbis aegro nuntiari, hic quaeri poteſt. Nunquam enim aut licet, aut decet propter muneris, et humanitatis leges, quibus obſtringimur, aegrum

pati

pati ſuae ſortis inſcium, aut dubitantem e vita decedere: quod ne accideret vetuſtiſſimi etiam medici Graeci, ac Latini omni ſtudio cauebant. In hac autem re, de qua aliorum erit fuſius diſputare, non vna adductus ratione exiſtimo, generatim praeſtare a medico potius, quam ab aliis funeſtum morbi euentum cubanti declarari. Hic enim paullatim, et lenius quo fieri poteſt dum id ipſum reuelat inſpiciens quae aegro accidunt funeſtum nuntium ita leniet, vt minus ipſe conuellatur, ac ſanguinis, et neceſſitudinis vinculo non impeditus poterit maiori animo argumenta infirmo ſuppeditare, quae et quietem adducant, et ſpem futurae felicitatis, quae ſit praemium laboris, atque virtutis.

ue, quae antiquas modulationes Phry-
et Doricam exprimerent, vſi ſunt
rbis non paucis leuandis, aut diſcu-

tem muſices vſum ad quasdam aegri-
s, atque ad triſtes etiam e ſanorum
emouendos accommodatum iudicem,
ndum medendi genus, vbi expediat,
edicos; non is tamen ſum, qui vel
s, ac ſymphonias agere, aut pulſare
ut bis die in peramplis valetudinariis,
is fit, vtiliſſimum ſemper credam.
sdam infirmos ab eiusmodi ſonis nihil
am nimium conuelli, ac manifeſte
quod nouerim mobiles admodum fe-
res quosdam viros, qui, etſi morbo
m ſonitus, ac maxime organi, et
quibant, quin vel animo deficerent,
uulſionibusque corriperentur. Ergo
m praeſidium non indiſcriminatim,
apteque adminiſtrare.
m in morbis curandis, ac maxime
aegrorum medicus proſpiciat, non
t, quae alibi monui (§. 33. 45.) ſed
norem ſpe ſalutis diſcutere; imo ae-
iam cum exigua ea eſt, paullatim eri-
tim abſtinere, et ſi quis vitae metus
ili ſermone modo occultare, modo
is lenire, ne cubantem in deſpera-
vel protinus nimium commoueat.
item ita ſe gerit, et placide omnia
i certum videtur exitium, expediat
ius ore, quam amicorum, propin-
aegro nuntiari, hic quaeri poteſt.
ut licet, aut decet propter muneris,
es, quibus obſtringimur, aegrum

pati